



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

Tractatus IV. De Archidiacono.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)



TRACTATUS IV.
DE
ARCHIDIACONO.
CAPVT PRIMVM.
DE NOMINE, DIGNITATE, QUALITATIBVS ARCHIDIACONI,
EORUMQUE NUMERO.

Questio 621. Vbi nam, & à quibus materia hæc de Archidiacono ex professo tractetur?

Respond. Exstat in Jure Canonico specialis titulus, nempe 23. l. 1. de officio Archidiaconi. ad quem locum materiam hanc plenissime tractant Laym. in singula memorati tit. Capita. Fagn. in c. ad hæc. & in c. significasti. ad eundem rit. Pirh. §§. duobus. Tellez. Gonz. nec non ceteri, qui ordinatè in singulos Juris Canonici titulos & Capita commentantur. Præter hos hanc quoque materiam ex professo prosequuntur Azor. Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 14. Lotterius de re beneficiaria. l. 3. q. 7. à num. 33. & l. 1. q. 16. à num. 106. & q. 28. à num. 119. Garc. de benef. p. 7. c. 7. num. 36. Card. Tusch. Lit. A. concl. 482. Riccius in collect. decis. p. 5. collect. 1618. Barbof. jur. eccl. l. 1. c. 24. Conrad. in templ. omn. iudic. l. 2. c. 8. Durand. in Specul. iuris l. 4. sub rit. de off. Archid. Michael Ferrus tract. de præcedentiæ eccl. q. 5. per tot. Didac. de Narbon. de arat. ad omnes actus huiusmodi. requirit. ann. 25. q. 61. Sebast. Cæsar. de eccl. hierarch. p. 3. d. 12. §. 1. Germon. de Sacror. immunit. l. 3. c. 3. Anton. Fabric. in pr. eccl. benef. tit. de benef. cum Dignit. à num. 23. Pignat. in consult. suis sparsim. Laurent. Drip. in suo Specul. Archid. & alii plures apud Barbosam.

Questio 622. Vnde nomen Archidiaconi, & quid importet?

Respond. Nomen hoc deductum & compositum ex vocalibus Græcis ἀρχος, quod principium, & δίακονος quod ministerium sonat. Fermosin. ad rubric. de off. Archid. Fagn. in c. ad hæc. cod. tit. n. 7. Barbof. loc. cit. num. 1. & alii passim post Host. in sum. h. t. §. & unde dicatur. Importat Diaconorum seu ministrorum primum & veluti præfectum AA. idem u. citatis. Pirh. ad h. tit. n. 1. Azor. p. 2. l. 3. c. 14. q. 1. Quippe jam à temporibus

Apostolorum in urbibus singulis, quibus præficiēbatur Episcopus, septem constituebantur diaconi (ut dicitur c. Diaconi. il. 2. dist. 93.) ex quibus antiquior appellabatur Archidiaconus, cujus officium erat, ut ceteri diaconi ritè suo munere fungerentur. Azor. loc. cit. & ex eo Pirh. loc. cit. item imperare hypodiaconis, eosque ad altaris ministerium instruere, bona ecclesiastica (ut colligitur ex cap. 6. Act. Apostolor.) administrare & dispensare. Laym. ad c. 1. h. t. num. 1. & ex eo Pirh. loc. cit.

Questio 623. Quenam aliis Archidiacono tribuantur nomina & tituli?

Respond. primò: Vocatur oculus Episcopi. Lotter. l. 3. q. 7. num. 33. Fagn. in c. ad hæc. h. tit. n. 26. Barbof. cit. c. 24. n. 12. Sbroz. de off. Vicar. l. 1. q. 36. num. 10. juxta expressum textum c. Diaconi il. 1. dist. 93. & c. Diaconi il. 2. ead. dist. & c. ad hæc. h. t. & Trident. sess. 24. c. 12. de reform. Idque quia Vice-Episcopi cuncta observat & circumlustrat, ut Lotter. loc. cit. sive quia per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigit & emendat, ut Fagn. loc. cit. juxta quod dicitur c. c. Diaconi. il. 1. aberrantes & circumlustrantes verecundis oculis actus totius ecclesiæ & perferuntantes diligentius, si quem videant vicinum fieri precipitio, & proximum esse peccato, ut referant ad Episcopum &c.

2. Secundò dicitur Vicarius Episcopi natus. Barbof. jur. eccl. l. 1. c. 24. n. 34. Card. de Luca de benef. d. 46. n. 5. Laym. in c. 1. h. t. n. 3. Cuch. Inst. major. l. 2. tit. 9. de off. Archiepisc. num. 10. ed quòd à lege ipsa nullo facto aut ministerio Episcopi constituatur Vicarius. Barbof. loc. cit. sive quia Archidiaconus ipso jure est Vicarius Episcopi, dum Vicariatùs officium ipsi dignitati Archidiaconali ita à jure, seu ex privilegio Canonis annexum sit, ut ei auferri nequeat Laym. loc. cit. Fagn. in c. ad hæc. h. t. n. 32. Unde

X

3. Ter-

3. Tertio dicitur quoque Vicarius Episcopi intulatus & perpetuus. Laym. *loc. cit.* item legitimus. Laym. *ibid.* veluti à lege seu jure factus & constitutus. Sbroz. *loc. cit.* num. 15. Lotter. *l. 1. q. 28. num. 119.* Laym. Fagn. *ll. cit.*

4. Quarto dicitur à Lott. *l. 1. q. 28. n. 129.* Vicarius specialis Episcopi; eò quòd sit Vicarius cum limitata facultate ad duo tantum contenta in *c. 1. de off. Archid.* cum tamen textus citati *cap. sic* habeat: ut Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium esse ejus in omnibus, & omnem curam in Clero (tam in urbe positurum quam in vicariis, qui per parochias habitare non solum) ad se pertinere, sive de eorum conversatione sive honore & restauratione Ecclesiarum, sive doctrina ecclesiasticorum vel ceterarum rerum studio & delinquentium rationem coram Deo redditurus est &c. Verum dilucidantur hæc omnia melius per sequentes quæst.

Quæstio 624. In quo Archidiaconus (maxime consideratus secundum statum illius antiquum, seu secundum potestatem & jurisdictionem, quâ pollebat antiquitus vigore antiquorum Canonum, qua de cetero hodie dum, ut dicitur postea, valde sunt imminuta) differat à Vicario generali Episcopi?

1. **R**esp. Differentiam illam facile ex jam dictis colligi. Nam primò, ut dictum, cum Vicariatus officium à jure annexum sit inseparabiliter Archidiaconatus, nequaquam ad illud Archidiaconus ab Episcopo assumitur. Dum è contra ab homine nempe Episcopo (etsi juxta institutionem & auctoritatem Canonum) constituitur Vicarius generalis, estque ab eo ad nutum amovibilis; adeoque merè temporalis & non intulatus. Barbol. *loc. cit.* num. 36. Pirh. *ad h. r. n. 2.* Laym. *ad c. 1. h. r. num. 3.* citans Butrio *ad c. ad hac. h. r.* Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 3. num. 15. & 16.* Host. *in sum. tit. de off. Deleg. num. 2.*

2. Secundò (quod ex præcedente sequitur) quòd Archidiaconi jurisdictio ordinaria directè proveniat à lege, indirectè & mediatè ab homine, quatenus nimirum Episcopus instituit Archidiaconum, aut electum ab aliis confirmat, cui dein sic instituto vel confirmato, tribuitur à lege ipsa, ut dictum, jurisdictio. Vicarii verò generalis seu Officialis jurisdictio (etsi & ipsa sit ordinaria) immediatè & directè proveniat ab Episcopo create & instituite Vicarium, indirectè verò à lege seu Canone, quatenus nimirum Canones dant Episcopo potestatem seu auctoritatem, Vicarium generalem cum jurisdictione ordinaria (cum alioquin, ut Maranta *de ordin. judicior. p. 4. disp. 5. num. 51.* citatus à Laym. & AA. communiter in *l. penult. ff. de Judic.* nullus inferior Princeps officium suum seu jurisdictionem suam rotam alteri committere possit) Laym. & Pirh. *ll. cit.* ex Hostienf. *loc. cit.*

3. Tertio: quòd Archidiaconus officium habet ab Episcopi officio separatum, ejusque officium Episcopus ipse exercere non possit. Vicarius verò generalis exequatur ea, quæ aliàs ad Episcopum ex officio pertinent, & ab eo exerceri possent ac deberent; quibus tamen Episcopus ob plurimas occupationes deservire non potest. Barbol. *cit. c. 24. n. 36.* citans Narbon. *de appellat. à Vicar. ad Episc. p. 1. num. 96.*

4. Quarto: quòd Archidiaconus propriam jurisdictionem, etsi inferiorem & subordinatam Episcopo, adeoque & propriam veluti tribunal habeat, à quo juxta *c. referent. 7. de prob.* ad Episcopum appellari potest. Vicarius verò generalis & Episcopus unum tribunal seu consistorium habeant, cui nomine Episcopi præest Vicarius; adeoque juxta *c. 2. de consuetud. in 6.* ab eo ad Episcopum appellari non possit. Laym. Pirh. *ll. cit.* citantes Hostienf. *ubi ante.* Card. Tusch. *v. Vicarius concl. 482. n. 20.*

Quæstio 625. In quo differat Archidiaconus ab Archipresbytero?

Resp. In eo, quòd Archidiaconus gerat vicem Episcopi quòd ad jurisdictionem: Archipresbyter gerat vicem Episcopi quòd ad divinorum celebrationem, Fagn. *in c. ad hac. num. 9.* ex Jo. And. *in c. 1. de off. Archipresb. n. 1.* Quòd idem vult Card. de Luca. *de benef. d. 46. n. 5.* dum Archidiaconum dicit Vicarium natum Episcopi in temporalibus, seu jurisdictione temporalis; Archipresbyterum Vicarium natum Episcopi in spiritualibus. Verum hæc differentia constabit melius ex dicendis infra accuratius de officio & potestate Archidiaconi.

Quæstio 626. Num Archidiaconatus sit beneficium, cui incumbat cura animarum?

1. **R**esp. primò: esse beneficium. Laym. *Theol. moral. l. 3. t. 2. c. 4. n. 4.* ubi inter beneficia duplicia media numerat Archidiaconatum. Azor. *Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 14. q. 4. & q. 5.* ubi expressè: Archidiaconus est constitutus in dignitate, quæ est beneficium ecclesiasticum. Siquidem beneficium respectu dignitatis ecclesiastica (qualis, ut dicitur *quæst. seq.* est Archidiaconatus) personatus & beneficii simplicis genus est; dum rectè dividitur beneficium in duplex & simplex. &c. Laym. *loc. cit.*

2. Resp. secundò: dum ex consuetudine seu usu excommunicare, suspendere, interdicere, vel etiam visitare & inquirere, quæ corrigat, potest Archidiaconus, incumbere quoque ei curam animarum, minùs rigidè accipiendò tò curam animarum; prout nimirum non solum importat jurisdictionem seu potestatem in foro interno seu penitentiali; sed & competit jurisdictioni in foro externo ecclesiastico consistenti in potestate ferendi censuras ecclesiasticas & absolvendi ab iis, nec non visitandi, inquirendi &c. Fagn. *in c. ad hac. h. r. n. 28.* Pirh. *ad h. r. n. 5.* citans Sylv. *v. Archidiacon. n. 5.* Azor. *loc. cit.* citans Jo. And. Abb. & gl. *in c. dudum. il. 2. de elect.* ubi expressè ait Pontifex: Cum in jure confessus fuerit, quòd Archidiaconus Ambianensis de consuetudine suspendit, excommunicat & absolvit Presbyteros & Priores, parochiales ecclesias interdicit, nec non Archidiaconus visitat & inquiret, quæ viderit inquirenda, & procuraciones ratione visitationis recipit, evidenter apparet, quòd curam animarum habeat annexam &c. Quòd etiam referendum, quòd dicitur *c. 1. h. r.* habere curam in Clero; tam in urbe positurum, quàm qui parochias habitant, & delinquentium rationem coram Deo redditurus sit.

Quæstio

Quaestio 627. Num Archidiaconatus sit Dignitas?

R Esp. Spectato jure communi esse dignitatem, etiam in Ecclesia Cathedrali. Fagn. in c. cum in cunctis. de elect. §. inferiora. n. 31. Pignat. tom. 1. consult. 6. n. 7. Pirh. ad h. t. n. 4. Lotter. de re benef. l. 1. q. 16. n. 112. Barbof. jur. eccles. l. 1. c. 24. n. 1. Aliique citandi q. seq. Quin & Archidiaconatus & Archipresbyteratus Collegiata est dignitas. Barbof. loc. cit. c. 2. n. 8. citans pro hoc Bald. conf. 1. in fine l. 1. Federic. de Senis conf. 80. n. 2. Tusch. tom. 1. lit. A. concl. 625. n. 6. Idque non solum in sensu aliquanto laxiore, in quo dignitas & personatus confunduntur, seu pro eodem sumuntur, & is quoque dignitatem habere dicitur, qui sine jurisdictione & administratione praeminentiam habet in ecclesia, ut dum quis in choro, Capitulo, processione, in confessu, in suffragiis ferendis sedem ac locum digniorem habet. Pirh. ad h. t. n. 3. (etsi de cetero talis loquendo proprie & stricte non nisi personatum habeat; ut idem Pirh. loc. cit. & Laym. in c. 1. de consuet. in 6. n. 1. & Theol. moral. l. 4. tract. 2. c. 4. n. 4.) sed & in rigore accipiendi nomen Dignitatis, nempe pro prerogativa seu praeminentia conjuncta cum jurisdictione, ubi nimirum eam habet Archidiaconus, ut Pirh. loc. cit. n. 4. Quin etiam est una ex dignitatibus in jure expressis, ut ibidem Pirh. Ipsumque solum Archidiaconi nomen usque adeo in dignitatem sonat, ut in illo habeat sedendi supra alios prerogativam. Lotter. loc. cit. num. 113. ex Boerio. decis. 286. n. 5. quamvis ibidem n. 106. addat, Archidiaconum & Archipresbyterum eatenus inter Praelatos referri, quatenus jure aliquo singulari jurisdictionem aliquam habent. Esse vero, (ut ait n. 109. ex Albertin. in c. quoniam. de heretic. q. 3. concl. 1. n. 2. & Archid. in c. 1. de consuetud. in 6. num. 1. & 2.) & appellari improprie dignitates, referendosque inter personatus cum sola sonantia nominis in dignitatem, ubi sunt cum nuda & simplice praeminentia, quales eas hodieum ferè esse binas illas dignitates, Episcopo omnem jurisdictionem, quam habuerant, sibi praescribente, nisi ubi electiva sunt (cum tunc vi electionis censeatur eas obtinentibus tributa aliqua jurisdictione in ipsos de Collegio, ut Abb. in c. decernimus. de iudic. n. 17. & Albertin. loc. cit.) ait ex iisdem num. 107. Quin etiam ait Cardin. de Luca de Can. d. 30. num. 7. citans pro hoc Sauch. de matrim. l. 3. d. 27. in fine. Boss. eod. tract. c. 4. §. 28. num. 75. hodiernos Archidiaconos & Archipresbyteros retinere solum quandam antiquae dignitatis imaginem seu reliquias.

2. De cetero appellari quoque Archidiaconatum quandoque officium, ut videre est ex Rubrica seu titulo 23. l. 1. Decret. qui inscribitur de off. Archidiaconi, officium non secus ac Praeposituram (etsi non simplex officium, quale dicitur administratio aliqua sine praeminentia & jurisdictione fori externi) tradit Laym.

loc. cit. in c. 1. de consuetud. in 6.

* * *

P. Leuren. Tract. IV. De Archidiacono.

Quaestio 628. Qualis Dignitas sit Archidiaconatus?

R Esp. De jure communi ac regulariter esse primam post Episcopum dignitatem. Lotter. cit. q. 16. num. 112. ubi ait: inter has dignitates (nempe quae modò sunt cum nuda tali praeminentia) cum de praecedentia agitur, consideratur etiam solus habitus, & ideo Archidiaconatus de jure communi censeatur prima post pontificalem Dignitas. Fagn. in c. ad hac. h. t. num. 30. ubi ex Bellamer. ait, Archidiaconalem Dignitatem de jure communi post episcopalem esse majorem in ecclesia Dei, & per consequens majorem Abbati, licet Abbates propter pinguedinem reddituum usurparint contrarium. & in c. ut Abbates. de arat. & qualir. num. 26. ubi ait: DD. communiter in c. 1. de off. Archid. tenent, Archidiaconum esse primam Dignitatem post pontificalem. Barbof. de iur. eccles. l. 1. c. 24. num. 4. ubi absolute inquit: Archidiaconus est prima Dignitas, citans pro hoc Rotam in Andriensi Archidiaconatus 5. Decembr. 1625. Vulpe. in pr. c. 34. num. 12. Aretin. conf. 23. num. 3. & num. 20. ubi: in Choro tanquam prima dignitas post pontificalem alii Superior & major habetur. Foudut. qq. benef. p. 2. c. 3. §. 11. num. 11. ubi: Archidiaconus secundum juris communis Regulas est prima dignitas in ecclesiis Cathedralibus. Card. de Luca de Canon. d. 30. num. 9. ubi: Archidiaconus in Cathedrali, Archipresbyter in Collegiata regulariter praesumitur prima dignitas. Pignat. consult. Can. tom. 4. conf. 35. num. 7. ubi: de jure, non docto de limitatione, regula est, Archidiaconum esse primam dignitatem post pontificalem, Pirh. ad h. t. num. 4.

2. Proceditque id ipsum, etiamsi nullum jurisdictionis exercitium haberet, permanente penes illum jurisdictione, quam vi antiquorum Canonum habebat, in solo habitu. Pignat. loc. cit. ubi ait: sufficitque, quòd habitu sit dignior; nam ad effectum praecedentiae non requiritur jurisdictione actu in Archidiacono habente assistentiam juris; sed sufficit habitu, cum possit esse sine administratione spiritualium &c. Idem tradit Lotter. cit. num. 112. expressis verbis supra citatis. Item Azor p. 2. l. 3. c. 14. q. 5. ubi: Archidiaconus, ubi ex consuetudine omni curam animarum & jurisdictione caret, meo quidem iudicio & is Archidiaconus dignitate praeditus esse judicari debet, in quo locum habeant jura c. de mitra. & Extrav. Execrabilis, quibus prohibentur Clerici habere duas dignitates.

Quaestio 629. An igitur Archidiaconus praecedat omnes alias dignitates, & in specie, an sit major dignitate Abbati?

R Esp. ad primum: Secundum jus commune & praescindendo à particularibus ecclesiarum consuetudinibus, Archidiaconus major est omni alia dignitate in Cathedrali. Pirh. ad hunc tit. n. 4. Pignat. tom. 1. consult. 6. num. 16. Barbof. loc. cit. n. 2. Sequitur non solum ex Responsione ad praeced. quest. sed & synonymina sunt: esse primam dignitatem; Archidiaconum habere principalem dignitatem post Episcopum, & praecedere dignitates alias omnes episcopali inferiori.

X 2

rcs.

res. Et ratio est; quia Archidiacono de jure communi totius Cleri cura commissa est juxta *c. ad hoc. h. t. Laym. ad c. ut Archidiaconus. h. t. n. 4.* præstique Archidiaconus omnibus post Episcopum. Fagn. *in c. ad hoc. h. t. n. 16.* ex Host. *in sum. h. t. s. & quibus præesse.* pertinentque ad eum omnia sub Episcopo, ut *ibidem* Fagn. cum sit Vicarius post Episcopum in omnibus Fagn. *ibid.* Barbof. *cit. c. 24. n. 34.* citans quamplurimos juxta expressum textum *c. i. h. t.* Unde, si quantum quis melioribus præest, tantum major est. Sbroz. *de off. Vicar. l. 2. q. 26. num. 11.* citans Abb. *conf. 2. t. n. 10. vol. 1.* Menoch. *conf. 5. t. n. 10. vol. 1.* sequitur evidenter, ejus dignitatem omnibus aliis dignitatibus post episcopalem esse majorem. Unde

2. Resp. ad secundum majorem etiam esse dignitate Abbati. Pirh. *loc. cit.* Fagn. *loc. cit. n. 30.* & *in c. ut Abbates. de atar. & qual. n. 29.* et si, ut addit Pirh. contrarium in praxi usurpatur, sive, ut Fagn. licet Abbates propter pinguedinem reddituum contrarium usurparint. Vide tamen de hoc eundem Fagn. *ad c. accedentibus de excess. Prælator. l. 5. tit. 3. n. 27. & 28.*

Questio 630. An itaque major quoque sit & præferendus Præposito, Archipresbytero seu Decano, & Primicerio?

1. Resp. ad primum: Spectato nimirum, ut dictum, jure communi, & abstrahendo à consuetudine legitime præscripta, majorem esse & præferendum Præposito. Laym. *ad c. i. h. t. num. 4.* Pirh. *ad h. t. n. 4.* Sbroz. *de off. Vicar. l. 2. q. 35. n. 27.* citans Bald. *conf. 387. per tot. vol. 1.* Rotam *de off. 451. in fine in nov. &c.* sequitur ex dictis *ad q. præced.*

2. Resp. ad secundum: major quoque est Archipresbytero seu Decano. Pirh. Laym. *ll. cit.* Barbof. *cit. c. 24. n. 3.* ubi: dignior est Archipresbytero in voce, loco, administratione & aliis; citat pro hoc Cardin. Tusch. *rom. 1. lit. A. concl. 482. n. 6.* Barbat. *conf. 5. l. 2.* Item *n. 38.* ubi: de jure communi Archidiaconus major est omnibus post Episcopum, & Archipresbyter ejus subiacet jurisdictioni, citat pro hoc Barbat. ubi ante. Tusch. *num. 11.* Gratian. *discept. forens. c. 111. n. 80.* Vulpe. *in pr. c. 24. n. 12.* &c. atque id colligi ex ordine titularum de officio utriusque in Decretalibus. Azor. *p. 2. l. 3. c. 15. q. 2.* Pignat. *rom. 4. consult. 35. ferè per tot.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 11. num. 11.* Fagn. *in c. ad hoc. h. t. n. 16.* juxta expressum textum *c. i. de off. Archipresb.* ubi dicitur: Archipresbyter sciat se subesse Archidiacono, & ejus præceptis sicut sui Episcopi debere obedire.

3. Neque his obstat, quod Archipresbyter sit major Ordine seu ratione Ordinis, nempe sacerdotalis, quem annexum habet, Archidiacono; cui de jure annexus non est nisi Diaconatus. Neque enim ab Ordine desumitur ratio dignitatis ecclesiastica, adeoque nec ab altiore Ordine major dignitas; aliàs & quilibet simplex presbyter dignior foret Archidiacono; sed à majore & altiore jurisdictione dignioreque administratione; ut videre est in Cardinalibus, qui quia proximè assistunt Lateri summi Pontificis, ut ejus universalisque Ecclesia negotia Consilio, industria ac ministerio suo curent & promoveant, ratione hujus officii sui & administrationis Episcopos, et si caractere ac Ordine majores præcedunt. Pari

igitur modo, quia Archidiaconus proximè ministrat Episcopo, ejusque in omnibus est Vicarius, etiam in jurisdictione, respectivè etiam ad Archipresbyterum, ratione hujus ministerii sui dignitate præcedit Archipresbyterum. Barbof. *cit. c. 24. n. 41.* Pirh. Laym. *ll. cit.* Quemadmodum & olim, dum in quavis ecclesia septem Diaconi constituebantur, ut Episcopo adessent, ejusque negotia procurarent, ut habetur *Can. 15.* Concilii Neocæsariensis, relato *in c. Diaconi. d. 93.* qui proinde presbyteris sacra tractantibus in externa gubernatione præponebantur, maxime illorum princeps seu Archidiaconus, licet, dum divina agerentur in Ecclesia, eosdem presbyteros sequi debebant. Laym. *loc. cit.* Unde jam etiam, licet cura animarum seu fori interni pertinet ad Archipresbyterum major sit cura fori externi, & administratione rerum externarum pertinet ad Archidiaconum, externa tamen cura & administratio, à qua dependet cura illa animarum, superior est ad majorem fundandam dignitatem ecclesiasticam. Pirh. *ad h. t. n. 4.* Atque ita quidem, quia Archipresbyter Ordinis consecratione & potestate (intellige absolventi in foro præsentiali) major est Archidiacono, longè tamen eo minor jurisdictione, ut Azor. *cit. q. 2.* Fagn. *loc. cit. n. 5.* sive quia ratione administrationis Archipresbytero præfertur, ratione tamen divinarum postponitur. Pignat. *rom. 1. conf. 6. n. 12.* habent se hæbinæ dignitates tanquam excedentia & excessiva, ut Fagn. *ibid. n. 4.* non tamen sic se habent in ratione dignitatis ecclesiastica; quia dum ratio illius ut dictum non desumitur ab Ordine potestatis quæ illa fori interni (aliàs enim etiam beneficium sacerdotale vel simpliciter curatum esset dignitas ecclesiastica) dignitas Archipresbyteri simpliciter exceditur à dignitate Archidiaconali.

3. Resp. ad tertium: Dignior quoque seu major est Archidiaconus in dignitate Primicerio. Barbof. *cit. c. 24. n. 3.* ubi illum digniorem dicit Primicerio in voce, loco, & administratione, & aliis. Pignat. *rom. 1. conf. 6. n. 15.* ubi ait, Archidiaconum præcedere Primicerium, non ratione Ordinis, sed dignitatis, sicut Cardinales præcedunt Episcopos. Sequitur ex dictis

Quest. 631. An quandoque in contrarium sit speciale statutum vel consuetudo, eaque prævalere debeat, & qualis esse debeat, ut prævaleat?

1. Resp. ad primum: Quandoque in ecclesiis quibusdam consuetudo est, vel etiam singulare statutum, ut non Archidiaconatus sit prima dignitas, sed vel Præpositura, vel Archipresbyteratus, vel Decanatus, vel etiam Cantoria, ut Pignat. mox citandus, atque ita Archidiaconatus aliis Dignitatibus postponitur. Barbof. *sur. eccl. l. 1. c. 24. n. 39.* Pignat. *rom. 4. conf. 35. n. 10.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 11. n. 12.* ubi etiam, quod Archidiaconatus Avenionensis nunquam fuerit prætenus esse prima Dignitas. Sbroz. *l. 2. q. 25. n. 20.* ubi: quando consuetudo adest, Præpositus præfertur Archidiacono, etiam si Archidiaconus gerat vices Episcopi. Lotter. *de re benef. l. 3. q. 7. num. 37.* ubi: sicut contingere potest, ut Archidiaconus ex singulari jure aliquo non sit oculus Episcopi, id est, nullum officium aut jurisdictionem obtineat, sed ventosa sit dignitas, ut in ecclesia

Ecclesia Parmensi, aut si non sit omnino ventosa, saltem non sit principalis, ut in ecclesia Paduana, in qua Archipresbyter est major Archidiacono &c.

2. Respond. ad secundum: Pravaeque hae consuetudo, quantumcunque alias repugnet iuri communi, ut Archipresbyter, vel Praepositus, vel alia Dignitas Archidiacono aliusve dignitatibus praeratur. Lotter. l. 1. q. 16. n. 116. Barbof. cit. num. 39. Semper igitur in hoc attendenda consuetudo ecclesiae consuetudo. Tond. loc. cit. n. 12. citans Boerium decis. 286. num. 8. Ludovici decis. 482. num. 3.

3. Respond. ad tertium: Talis consuetudo, cum sit contra jus canonicum, ut pravaeat, debet esse praescripta per 40. annos. Barbof. loc. cit. num. 40. citat pro hoc Barbat. conf. 5. num. 6. l. 2. Bartol. conf. 136. l. 1. Cravet. de antiq. temp. p. 4. §. 1. num. 9. ubi etiam is cum Card. Tusch. & Alex. tradat, debere deduci tempus vacantis dignitatis.

Questio 632. Num Archidiaconus in celebratione Missarum solemnium similiumque functionum pontificalium & sacerdotatum preferendus sit Archipresbytero?

1. Resp. primò: Archidiaconus, dum non est sacerdos, de iure non potest in divinis aliquam praerogationem praetendere supra Archipresbyterum. Lotter. l. 1. q. 16. num. 114. Pignat. tom. 4. consult. 35. n. 27. Barbof. juris eccles. l. 1. c. 24. n. 42. citans Anton. de Pratis. in Clypeo pastor. off. c. 637. Gratian. discept. for. c. 298. num. 35. Menoch. conf. §. 1. num. 56. Theodol. de Rubeis in singular. Rota. tom. 2. p. 4. tit. de praeced. Protonotar. num. 11. Ferrum de praeced. q. 5. num. 12. Ricc. in pr. fori eccles. p. 4. resol. 394. num. 1. &c. Idque non obstante quacunque consuetudine, seu potius corruptela; cum actus repugnantes rationi (qualis est, quod in divinis non presbyter praeratur presbytero) tanquam improbi, juxta l. improba. c. de acquirit. possess. neque jus, neque possessionem tribuant. Pignat. loc. cit. citans Ferrum ubi ante.

2. Resp. secundò: Dum verò Archidiaconus est sacerdos, praerendum illum in divinis, expressissimis tenet Lotter. l. 1. q. 16. n. 115. secutus in hoc Hostiens. in c. 1. de off. Archipresb. num. 5. Butrium ibidem num. 4. Boerium conf. 22. num. 31. vol. 1. quos citat Anchar. aliosque antiquos, dum ait: quod in divinis Archidiacono praeratur Archipresbyter, procedit ex mera contingencia; quia Archidiaconus non sit presbyter; si enim initiatus sit sacro presbyteratus Ordine, & velit ipse celebrare, nihil est, quin etiam in divinis ipsaque Missa celebratione ei praeratur debeat, ut notabiliter docuit Host. & quod probavit Rota in Viterbiens. celebrationis Missarum 11. Decemb. 1609. &c. Item Barbof. cit. n. 42. ubi: quod Archidiaconum praecedat Archipresbyter, procedit in divinis, nisi Archidiaconus sit in presbyteratus Ordine constitutus; quia tunc, cum sit par in Ordine, & major in administratione, debet praecedere Archipresbyterum absente Episcopo in celebratione Missarum in diebus solemnibus & aliis relatis in ana Regiens. 9. Decemb. 1600. citat pro hoc Card. Tusch. Lit. A. conclus. 482.

P. Leuren. Traët. IV. De Archidiacono.

num. 16. Barbat. conf. 5. per tot. l. 2. Vulpe. in pr. c. 34. n. 13. Rotam decis. 244. n. 2. p. 1. recentiss. recitarque illam ipsam decisionem Congregationis Rituum in dicta Rhegiensi hisce formalibus: Censuit S. Congregatio, Archidiaconum ecclesiae, ubi prima dignitas post pontificalem existit, & sacerdos est, non quidem ex obligatione, sed ex sua voluntate & devotione in decantatione Missarum in diebus solemnibus, delatione sanctissimi Sacramenti, benedictione candelarum, cinerum & palmarum & aliis hujusmodi actibus & functionibus sacerdotalibus, Episcopo absente, praerendum esse Archipresbytero; neque allegatam consuetudinem, quae legitime probata non fuit, eidem Archipresbytero ad excludendum Archidiaconum sacerdotem in casu, de quo agitur, suffragari. Recitat quoque Barbof. loc. cit. n. 44. citatam supra decis. Rota in Viterbiens. celebrationis Missarum, quae omnino in hac materia singularis est, & quae clarius & elegantius nihil pro hac sententia afferri potest. Isdem ferè verbis cum Barbof. idem tenet Pignat. loc. cit. num. 8. & consult. 6. n. 5. contra Fagnanum oppositum mordicus ac fuse tuentem in c. adhaec h. t. ferè per tot. maximè autem à n. 17. ubi inter cetera sic ait: Respondetur, doctrinam Hostiensis esse intelligendam quod ad praecedentiam, ut scilicet in omnibus actibus indifferentibus Archidiaconus presbyter praeratur Archipresbytero; nam alioquin, si eam intelligeremus, ut ministeria ad Archipresbyterum iure pertinentia illi praecipere possit, Hostiensis uno verbo subvertisset totum titulum de off. Archipresb. Praeterea, cum jura miro ordine constituerint has duas dignitates ad relevandum Episcopum, & cuique sua propria munia assignaverint, omnia perverterentur solà Archidiaconi voluntate, ubi scilicet presbyteratus Ordine susciperet; tunc enim Archidiaconus tot curis implicatus, quot in hoc & sequente titulo continentur, vix illis par esse posset, & Archipresbyter omni iure sibi adempto ludibrio omnibus esset, quod quàm sit absurdum, nemo non videt; cum jura nihil magis abhorreant, quàm unum occupare officia plurium &c. Fundatur haec sententia in eò, quod praecedentia tam in functionibus pontificalibus absente vel impedito Episcopo, nempe delatio sanctissimi Sacramenti in processionibus, distributio candelarum, palmarum, cinerum, celebratio Missae solennis &c. quàm in omnibus praerogationibus jurisdictionalibus, & in ceremoniis, quae per aliquam dignitatem explicari solent, spectat ad primam dignitatem post pontificalem, quacunque illa sit, & quocunque nomine appelletur, modò sit in Ordine sacerdotali constituta. Pignat. loc. cit. n. 2. juxta quod saepe declaravit S. Rituum Congregatio, & clarissimè quidem in Civitatenf. 19. Jan. 1608. quam declaratione recitat Barbof. cit. c. 24. n. 43. & Pignat. loc. cit. n. 5. hisce verbis: Rituum Congregatio, ut saepe alias in similibus, ita nunc declarat, munia praedicta (nempe Missarum solemnium celebrationes, sanctissimi delationem, candelarum & palmarum benedictiones similesque, quas Episcopus praesens in sua Cathedrali facere solet ac debet) absente vel impedito ad primam dignitatem, vel eam impeditam, ad secundam, & successivè ad tertiam vel quartam, & omnibus dignitatibus absentibus vel impeditis,

peditis, ad primum vel secundum Canonicum pertinere &c. Item in una Veneta. 6. Octobr. 1640. & in Parmensi. 28. April. 1640. quas verboteus recitat Pignat. n. 6. Hinc dum Archidiaconus sacerdos est prima aut saltem major Archipresbytero ad eum præ omnibus, aut saltem præ Archipresbytero spectat has functiones obire. Ratio autem hujus rei hanc dat Pignat. n. 3. & 4. quod hujusmodi præminentia non competant ratione nominis sed dignitatis; in præcedentiis autem servandus sit Ordo Dignitatis juxta l. fin. c. de primicerio & secundicerio & Notariis; quodque in præminentis ille debeat proximè subsequi suum caput, hoc est Episcopum, qui magis participat cum suo capite; magis autem cum Episcopo participet prima dignitas; cum sit Episcopo conjunctior, & ad eum propius accedere videatur. Unde jam etiam cadit fundamentum Fagnani; dum non obstat, seu in contrarium facit (prout expressis verbis ait Rota in citata illa Viterbiensi. apud Barbof. cit. c. 24. n. 45. & apud Pignat. cit. n. 8. quod hoc munus (nempe celebrandi dicta divina) specialiter reperitur demandatum Archipresbytero c. 1. de off. Archipresb. quoniam non idcirco eadem functiones prohibentur Archidiacono, quod sint demandata Archipresbytero, si ex aliis regulis juris (nempe ratione majoritatis, dignitatis) possint etiam competere Archidiacono; cum non sit insolens in jure, quod idem officium pluribus ex ordine competat. Porro deducta à Fagnano procedere solum in functionibus parochialibus, nempe in funeribus & Sacramentorum administratione; cum tunc Archipresbyter fungatur munere proprio, cum habitu sacerdotali deferendo stolam; non autem in aliis functionibus pontificalibus curam animarum non concernentibus, ait Pignat.

3. Resp. tertio: Nihilominus & hoc in puncto attendenda est consuetudo & speciale statutum ecclesiæ, dum ex illa vel illo competere potest alteri, etsi in dignitate minori Archidiacono, functiones illas præ illo exercere; ita expressè Lotter. loc. cit. n. 116. Barbof. cit. n. 43. ubi postquam ex declaratione Congreg. Rituum retulisset prædictas functiones exercere pertinere ad primam dignitatem, & eam impediri ad secundam, & successivè ad tertiam, subjungit: nisi ad alium pertineat, absente Episcopo prædictas functiones facere juxta ecclesiæ constitutiones & antiquam & immemorabilem ejusdem ecclesiæ consuetudinem, ut aliàs tenuit eadem S. Congregatio Rituum in una Invenacensi. 9. Maji 1609. Pignat. cit. conf. 35. n. 28. ubi: quamvis de jure Archidiaconus in ecclesia Cathedrali sit major dignitas pontificalem, & ex Regula, ubi Archidiaconus est sacerdos, præferatur Archipresbytero in functionibus, quæ ad Episcopum spectant, receptissima tamen conclusio est, quod attenditur institutio vel consuetudo legitime præscripta cujusvis ecclesiæ; citat pro hoc Innoc. in c. de multa. n. 6. de prob. Host. ibidem n. 9. Catd. n. 3. Abb. n. 21. Mascard. de prob. conf. 115. num. 2. ac declarationem S. Congreg. Rituum in Laudensi. 18. Septemb. 1666. & 21. Jul. 1668. Porro licet in genere usus & consuetudo decennialis sufficiat in materia præcedentiæ quod ad aliquos particulares actus, quamvis sit contra jus, Pignat. loc. cit. num. 30. juxta decis. Rota 85. num. 4. & seq. p. 5. recent. quam citat, præcipuè si hujusmodi consuetudo ex actibus judicia-

libus, adeoque etiam ex sententiis inducitur sit. Pignat. ibidem. Imò sufficiant duo actus juxta Host. in c. ex parte. n. 16. de consuet. Præpos. in c. mos est. n. 5. d. 1. Bartol. in l. quibus, ff. de LL. Paris. conf. 310 n. 44. l. 4. citatos à Pignat. qui ait, hoc ultimum intelligendum, dum partes acquiescunt sententiæ, Licet etiam res omnes ecclesiæ quadragenaria præscribantur, c. 1. de præscript. & gl. ibi, & in specie etiam attendatur & sufficiat consuetudo quadragenaria ad dignoscendum, num Archidiaconatus sit prima vel inferior dignitas. Pignat. loc. cit. num. 10. ex Barbof. de Canon. & Dignit. c. 3. num. 39. & seq. Verumtamen quod ad functiones pontificales, quæ absente Episcopo propter majestatem sanctissimi Sacramenti, & decentiam ecclesiæ fieri debent à prima dignitate seu digniore, S. Cong. Rituum ita inconculsum id retinet, ut ne quidem quadragenariam in contrarium admittat consuetudinem; sed tunc solum excludit ab iis primam dignitatem, dum constat de immemoriali, & donec formiter probetur immemorialis contra Archidiaconum seu primam dignitatem, mandata istiusmodi functiones fieri per Archidiaconum, intellige, dum is est prima Dignitas & sacerdos. Pignat. loc. cit. num. 10. citans verboteus clarissimas pro hoc S. Congr. Rituum declarat. n. 11. & seq. Estque, ut idem Pignat. eam constans in hac immemoriali, ut nullà etiam habità ratione Decretorum synodalium ac testium depositionum super probatione immemorialis, velit illam formiter probari, non retardata executione Decreti ad favorem primæ dignitatis, ut constat ex ejus decreto in Melfitan. de 24. Januar. 1628. Proinde jam interea, dum formiter immemorialis illa non probatur, jus solum est integrum Archipresbytero alterive inferiori petendi remissionem ad illam probandam; functiones verò illa interim peragendæ ab Archidiacono habente assentiam juris. Pignat. loc. cit. num. 24. in iis enim, quæ juri resistunt, & haberi non possunt nisi per privilegium vel immemorabilem, donec de hoc cognoscat, res pertinere debent ad eum, qui habet juris assentiam; & habenti resistentiam non datur manutentio, ut in materia decimarum pendente discussione præscriptionis super exemptione. Marefchot. l. 1. var. d. 11. num. 6. Rota in Hispal. decimarum 17. Februar. 1647. apud Pignat. loc. cit. Ad probandam porro illam immemorabilem non sufficit, testes deponere, Archipresbyterum functiones ejusmodi peregrisse, nisi & asserant, Archidiaconum voluisse illas functiones peragere, & ab Archipresbytero impeditum fuisse, eique perhibenti acquiescisse. Potuit id enim aliàs evenisse, vel quia pro eo tempore Archidiaconus non erat sacerdos, vel propter ejus absentiam, vel de ejus licentia, vel quia is noluit. Pignat. n. 25. Dum enim sumus in facultativis, per merum non usum jus nullum alteri censetur acquisitum. Burat. decis. 43. n. 6. & 7. Seraph. decis. 716. num. 10. Rota decis. 491. num. 8. & 10. p. 1.

recent. apud Pignat. loc. cit.

* * *

Quaest. 633. Dicitur igitur de eadem Cathedrali concurrerent in funeralibus Archidiaconus, ubi hic est prima dignitas, & Archipresbyter, ubi is est secunda dignitas, & nulla stat pro alterius parte consuetudo, cui danda quoque in via sit praecedentia.

Resp. dum Archipresbyter, cui incumbit cura animarum, in ecclesia facit officium, defertque stolam, dandam ei praecedentiam ratione stolae. Pignat. Tom. 4. *consult. 35. num. 8.* Barbof. *jur. eccles. L. 1. c. 24. n. 49.* dicens teste LAVORIO. *Var. lucubr. Tom. 1. tit. 2. c. 3. num. 211.* sic declarasse S. Congregat. Rituum in una nullius sub Trojana 4. Maji 1613. quae enim dicta sunt *quaest. preced.* de praetatione Archidiaconi, intelligenda, ut dictum *ibidem* ex Pignat. de functionibus pontificalibus curam animarum non concernentibus.

Quaest. 634. Num etiam Archidiaconus Sacerdos in celebratione illa missarum solemni, aliarumve functionum pontificalium sit praefendus Primicerio.

1. **R**esp. primò. Dicta hac super re inter Archidiaconum & Archipresbyterum magis urgent contra Primicerium, aliisque dignitates de jure communi Archipresbytero inferiore Pignat. *Tom. 1. cons. 6. n. 6.* quippe si jus praetationis Archidiaconi in hoc potentius est jure Archipresbyteri, multò magis vincit in hoc eas dignitates, quae ab Archipresbytero vincuntur. Pignat. *loc. cit. n. 8.* Jam verò Primicerius (de quo est *titul. 25. l. 1.* & cujus officium describitur in *c. unico. h. r.* & sic generatim dicitur ab ordine cere, quo nimirum primus scriptus est in tabulis ceratis, seu aliis pugillaribus, vel etiam, qui in quocunque ordine primum locum tenet, & in praesente, qui primum locum habet tum in choro psallentium, tum in Schola inter Diaconos & Clericos ceteros, & alio nomine in ecclesiis quibusdam vocari solet Scholasticus, vel Cantor, aut praecentor. Pirh. *ad h. r. n. 1.*) est inferior Archipresbytero dignitas de jure communi. Quod ipsum tamen, nempe quòd sit dignitas ecclesiastica vel personatus, intellige, si Primicerius seu Cantor praeminentiam habet inter alios Canonicos, seu illos ratione hujus sui officii in Choro, Capitulo, & processionibus praecedat; si enim hanc praecedentiam vel praeminentiam non habet, nequaquam dignitas, sed nudum officium seu administratio censetur. Pirh. *loc. cit. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 16. q. 6.* Laym. *Theol. mor. l. 4. tract. 2. c. 4. n. 4.* licet hoc ipso beneficium duplex & praebendam pioguiorem obtineat, ut Pirh. ex Laym. *loc. cit.*

2. **R**esp. secundò. Dum in ecclesia aliqua juxta Concil. Tridentini decretum *sess. 24. c. 12.* dignitates ac praebendae distinctae sunt in subdiaconales, diaconales, presbyterales, & v. g. Archipresbyteratus est prima dignitas sacerdotalis, Praepositura secunda dignitas sacerdotalis, Archidiaconatus tertia dignitas diaconalis, Primiceratus quarta dignitas sacerdotalis, & ex ejusdem ecclesiae statuto disponitur, ut functiones pontificales, v. g. in solemnis vespertis

vel missis festivitatum aliquarum exerceantur per Capitulares habentes dignitates & praebendas sacerdotales, easdem exercere spectabit ad Primicerium, & non Archidiaconum, etsi is per accidens Sacerdos sit. Pignat. *cit. cons. 6. n. 10.* attendenda enim in hac materia potissimum distinctio ordinum juxta *c. statuimus. de major. & obed. & ibi DD.* communiter. Adeoque cum Archidiaconus habeat dignitatem ac praebendam à statuto ecclesiae distinctam & determinatam, non potest, nec debet exercere munia, quae spectant ad dignitatem ac praebendam sacerdotalem, eò vel maxime, quòd à speciali statuto talis ecclesiae praecise disponatur, quòd ejusmodi functiones exerceantur per turnum à dignitatibus & canonicis habentibus praebendas sacerdotales; dignitas enim Archidiaconalis in hac ecclesia non est destinata ad hac munia obtinenda; cum non requirat ex sui institutione sacerdotium. Unde, si illud suscipiat, non exinde exercere potest ea, quae ex tali speciali statuto ordinata sunt dignitatibus (etsi aliàs eo inferioribus) & Canonicis habentibus ex instituto annexum sacerdotium; eo quòd qualitas illa sacerdotalis superaddita pro libitu & devotione Archidiaconatus non sit habenda in consideratione in ordine ad dictas functiones, in quibus attenditur solum dignitas, cui ea inest ex necessitate, seu vi statuti. Pignat. *loc. cit. n. 11.* Confirmat hoc ipsum Pignat. *num. 14.* vel ex hoc ipso, quòd alius excogitari nequeat finis distinctionis illius dignitatum & praebendarum in diaconales & sacerdotales, quam ut in solemnis celebratione per integrum corpus obtinentium distinctos ordines adimpleatur, ita ut habens annexum ordinem diaconatus officium Diaconi impleat, dum aliàs inutilis videri posset dicta dignitatum & praebendarum distinctio, si omnes dignitates & Canonici quo ad functiones illas celebrationis solemnis uniformiter se gererent. Item confirmat idem *n. 13.* ex ipsa praxi Ecclesiae Romanae in ipsis Cardinalibus; dum qui Cardinalatum diaconalem habet, tantum exerceat, quae sui, & non quae alterius sunt ordinis; licet aliàs non solum sacerdotali sed & episcopali Characterè sit insignitus. Neque his obstat, quòd per hujusmodi statutum videatur tolli jus commune, quo videtur disponi, Archidiaconum, modò sit Sacerdos, praefendum esse in his functionibus ceteris dignitatibus, ut dictum supra juxta doctrinam Hostiensis. Nam statutum contra aliquem specialiter conditum tenet in ejus praedictum. Sed neque ejusmodi statutum tollit jus commune, dum mandat in materia & exercitio hujusmodi functionum, ut stetur consuetudini hujus ecclesiae, quia id ipsum disponit jus commune. Unde licet absente Episcopo celebratio Missarum & hujusmodi alia spectent de jure ad Archidiaconum, dum is est Sacerdos, id tamen non procedit stante dispositione statutaria in contrarium, vel legitima consuetudine ecclesiarum; dum etiam consuetudo talis vel dispositio specialis super hoc praeservatur in ipso ceremoniali Romano. *L. 2. c. 17.* Pignat. *loc. cit. n. 16. & 17.* similiter juxta dicta à nobis supra.

Questio 635. An igitur, dum ad Archidiaconum spectat exercere istiusmodi actiones, is impeditus, aut alias nolens eas exercere, sibi substituere possit, quem libuerit.

R Esp. negativè. Barbof. *Jur. eccl. l. 1. c. 24. n. 46. & 47.* sicut enim impedito vel nolente Episcopo per seipsum exercere illas functiones, is non potest in præjudicium primæ dignitatis, (utpote ad quam de jure in eo casu spectat exercere illas functiones) alteri sibi bene viso demerere illas functiones, ut censuit S. Congreg. Rituum in una Algarenf. 2. Febr. 1601. & in Puteolan. præminentiar. 9. Decemb. 1617. apud Barbof. *cit. n. 46.* ita nec ipsa prima dignitas pro libitu suo alium sibi bene visum Canonicum aut dignitatem loco sui substituere poterit; sed in eo munere debere succedere proximiorè dignitatem, & deficientium vices ab aliis immediatè succedentibus suppleri, declaravit eadem S. Congreg. in una Adriens. 22. Jan. 1618. apud Barbof. *loc. cit. n. 47.*

Quest. 636. Virum Archidiaconatus dignitate & loco præcedat Vicarium generalem Episcopi?

1. R Esp. in hoc convenire AA. Negativam, nempe Archidiaconum dignitate non præpollere Vicario generali Episcopi, sed hunc illi tam in choro quàm ubilibet præcedere debere illum, tenent Barbof. *Jur. eccl. l. 1. c. 24. n. 55. & 56.* citans pro hoc Seraph. *decis. 639. n. 10.* Zerol. in *pr. Epif. p. 1. v. Vicarius. §. 15.* Ferrum de *præcedent. eccl. q. 5. n. 8. & c.* ac sic expressè declaratum esse inquit S. Congreg. præposita negot. Episcoporum. & Regular. in *Theatina 6. Jul. 1618.* Item tenent illam Felin. in *rubr. de major. & obed. n. 10.* Tusch. v. *Archidiaconus concl. 482. num. 2.* Laym. in *c. 1. h. t. n. 4.* dicentes absurdum & stultum videri, si Archidiaconus præcedere velit Vicarium Episcopi ob rationem mox ex iisdem subjungendam. Item Sbroz. de *off. Vicar. l. 2. q. 25. n. 1.* citans pro hoc Abbatem *conf. 21. per tot. vol. 1.* Rebuff. in *pr. benef. tit. de Vicar. Ep. num. 7.* Cassan. *cat. gl. mundi p. 4. confid. 46.* Bott. de *Synod. Ep. p. 3. n. 20.* Jacob. *tract. de Concil. pag. 67. col. 1.* Anton. de *Præis tr. de juridict. Epif. c. 6. n. 41.* Joan. de *Arnono singul. 28.* (ubi etiam Archidiaconos, qui volunt præcedere Vicarium, vocat temerarios & arrogantes) Staphil. Pavin. *Fusc. & quamplurimos alios, ad quos accedit Pirh. ad h. t. n. 4.* Ratio hujus sententiæ est, quòd tribunal Archidiaconi inferius sit & subiectum consistorio Episcopi, cui præest Vicarius Episcopi, utpote idem faciens cum Episcopo consistorium; quique, ut Sbroz. *loc. cit. n. 3.* Episcopo dicitur associari in jurisdictione, & representare reverentiam episcopalem, unum cum illo agens, una cum illo persona, & hinc in loco, sessione & aliis tam honorandus quàm Episcopus, & ut idem Sbroz. ex *Ant. de Prat. cit. c. 6. n. 44.* quemadmodum Papa representat Christum, & facit idem tribunal cum eo, & omnibus post Christum præhonoratur, ita Vicarius representans Episcopum, & faciens unum cum eo tribunal, omnibus post Episcopum præhonoratur.

2. Ampliatur hæc doctrina primò, ut procedat, etiam si Vicarius Episcopi non esset Sacerdos, & Archidiaconus esset Sacerdos; eò quòd ratio jam data militet quoque pro Vicario non sacerdote. Licet enim Vicarius non sit Sacerdos, gerat tamen vices Episcopi, & eandem habet prærogativam; & ideo in his, qui forum sacerdotale non respiciunt, sit præferendus Archidiacono, Archipresbytero sacerdotibus Sbroz. *loc. cit. n. 18.*

3. Ampliatur secundò ab eodem Sbroz. *loc. cit. n. 7.* ut procedat, etiam si Archidiaconus haberet privilegium obtinendi primam sedem post Episcopum; eò quòd, ut Abb. *conf. 21. n. 5. vol. 1.* quem citat, privilegium illud intelligatur respectu aliorum Clericorum, non habentium jurisdictionem in Archidiaconum, non autem respectu vicarii.

4. Ampliatur tertio, ut procedat obstante quacunque consuetudine aliisque in contrarium. Barbof. *loc. cit. n. 56.* ubi, quòd Vicarius generalis absente Episcopo debeat habere primum locum super omnes dignitates & Canonicos, non obstante consuetudine aliisque in contrarium; sic expresse ait S. Congreg. Rituum in una Adriens. 7. Aug. 1610. & in Ferrar. 20. Decemb. 1614. & in Melitens. 13. Jul. 1619. Sbroz. *loc. cit. n. 5. & 6.* ubi, postquam citasset plurimos in contrarium; subdit: tamen præcedens opinio (nempe quòd præcedat Vicarius Archidiaconum ceterasque dignitates, etiam si consuetudo vel statutum extaret in contrarium) est majore DD. calculo fulcita & communis; detestabilisque probatur illa consuetudo tanquam ratione carens, & ex quadam ambitione & stulticia inducta; contrariæque juri divino, ordini naturali, juri Pontificio & Casareo, ut probant Abb. *cit. conf. 21.* Felin. in *rub. major. & obed. n. 10.* Rebuff. *loc. cit. n. 7.* Cassan. *loc. cit. confid. 46.* Melillus *tr. de præced. Vicar. c. 4.* Paphil. & c. quos citat.

5. Verumtamen oppositam sententiam, nempe quòd Vicarius præferendus non sit Archidiacono, tenet Menoch. *conf. 51. vol. 1. & conf. 257. vol. 3.* cui consentit Laym. in *c. 1. h. t. n. 4.* eò quòd, ut inquit Laym. *c. ad hæc h. t.* expresse habeatur; quòd secundum Romani Ordinis constitutionem Archidiaconus major post Episcopum ejusdem Episcopi Vicarius existat. Unde respondit ad rationem oppositæ sententiæ: consideratione diversarum causarum & locorum eandem personam eidem anteferri & postponi, ut constat ex *l. 1. c. de off. Vicar.* ubi dicitur, in causis civilibus atque judiciis Vicarios Comitibus militaribus anteponeudos esse, sed in rebus militaribus postponeudos. Atque ita, licet Vicarius in tribunali suo, quatenus Episcopi ibi vices actualiter gerit, superior sit, five jurisdictionem in alios omnes clericos, etiam Archidiaconum exerceat; tamen extra tribunal suum, ut in ecclesia, processibus, aliisque conventibus postponi potest, ita ut absolute loquendo dignitas Vicarii generalis minor censetur quàm alia quædam dignitates Ecclesiæ Cathedralis. Quin &, si agatur de consuetudine, certum est, de facto in pluribus ecclesiis contrarium observatur, ut nimirum Vicarius Generalis sequatur Ecclesiæ Cathedralis Archidiaconum, Præpositum & Decanum, quin & in aliquibus locis omnes Ecclesiæ Cathedralis Canonicos intellige, dum ipse non est Canonicus Eccle-

Ecclēſia Cathedralis de tali conſuetudine præter Laym. de variis in particulari ecclēſiis teſtatur alii quamplurimi celeberrimi AA. apud Sbroz. *loc. cit. num. 6.* Talem autem conſuetudinem damnare, difficile eſſe, ait Laym. Certè mirum illam à Sbrozio poſt tot illuſtrium virorum teſtimonium vocari irrationabilem, ambitioſam & ſtultam, contra omnia jura humana & divina, præſertim cum & ipſe Sbroz. *l. 3. q. 12. n. 5.* dicat authoritatem Archidiaconi juxta textum *de Romāna.* prævalere omnibus. De cætero fatetur & ipſe Sbroz. *cit. q. 25. n. 22.* cum Cucho *inſt. Jur. Canon. tit. 8. de Vicar. Episc. num. 29. l. 2.* non præcedere Vicarium, ubi ei ſubditus non eſt Archidiaconus v. g. dum Vicarius hujus Diœceſis cum Archidiacono alterius Diœceſis contendat de præcedentia in aliena ſeu tertia aliqua Diœceſi, uti etiam expreſſè tradit Sbroz. *ibidem n. 20.* Archidiaconum eſſe præferendum Vicariò Capituli ſede vacante, juxta quod docet Jo. And. *in c. ſin. de off. Legat. in 6.* ubi; quodd, quando eſt conſuetudo, Præpoſitus præfertur Archidiacono, etiam ſi Archidiaconus gerat vices Episcopi ſede vacante.

Quæſtio 637. Unde factum, quod Archidiaconus tanta pollea tam in Archipresbyteros quam clericos inferiores auctoritates?

Reſpondet Azor. *p. 2. l. 3. c. 14. q. 6.* id inde ortum, quod Episcopus aded amplam Archidiacono concedere ſolebat jurisdictionem, dum vicarià illius paſſim uteretur opèra, utpote liberi ſb onere, obligatione, & poteſtate adminiſtrandi Sacramenta; presbyteris verd eſſent commiſſi populi, ac propterea à ſuis ecclēſiis ſine earum gravi detrimento abeſſe non poterant.

Quæſtio 638. Quot ſint, aut eſſe poſſint in Diœceſi aliqua Archidiaconi?

Reſp. Tamerſi tot ferè ſint Archidiaconatus, quot ecclēſiæ, ut Fagn. *in c. adhuc b. r. n. 15.* ex Sylv. *v. Archidiaconus in princip.* quin & in quibusdam ecclēſiis nullus ſit Archidiaconus, ſed ejus officio fungatur Archipresbyter ſeu Decanus, in quibusdam ecclēſiis etiam ſit Archidiaconus unus, præminentiam quidem habens

inter Canonicos, ſed ſine jurisdictione vel adminiſtratione *Pirh. ad b. r. n. 1.* videatur quoque de jure cujuſvis ecclēſiæ Cathedralis unus tantum eſſe Archidiaconus, qui primus eſt in dignitate quò ad ſtallum in choro, vocem in Capitulo, & præcedentiam ſuper prælatos, Præpoſitum, Archipresbyterum, tamen talem vix ulla modò Ecclēſia in Germania agnoſcit, ut Laurent. Dript. *in ſuo Specul. Archidiacon. ſect. 1. art. 2.* cum in plerisque Ecclēſiis Cathedralibus non unus ſolum, ſed plures Archidiaconi reperiuntur, quorum cuilibet ſpecialis diſtrictus in Diœceſi, in quo jurisdictionem ſuam exercent, aſſignatur, ſive qui totam Diœceſim in certas partes diſtributam gubernant tanquam Vicarii Episcopi perpetui & intitulati. Laurent. Dript. *loc. cit.* ubi etiam Archidiaconos tam Metropolitanæ Colonienſis, quam Cathedralium Onaburgienſis & Paderbornenſis enumerat. *Pirh. cit. n. 1. Pignat. Tom. 9. conſult. 114. n. 42. Fagn. in c. licet. de pœnis. n. 2.* ubi: nota ex textu ſecundum Abbatem in uno Episcopatu eſſe poſſe plures Archidiaconos, & ſic eandem dignitatem eſſe multiplicabilem in eadem Diœceſi, de quo *inc. ex parte il. 1. c. quoniam de off. deleg.* Adde inferiorem dignitatem multiplicari poſſe etiam in eadem ecclēſiâ, ſicut ſunt plures Archidiaconi in ecclēſia Callaguritana &c. Azor. *p. 2. l. 3. c. 14. q. 7.* ubi etiam teſtatur, eſſe eorum ſex in ecclēſia Tolentana. Cujus pluralitatis introducta rationem dat hanc, quod olim Episcopi ex Diaconis ſenioribus duos, tres, quatuor vel plures conſtituebant pro ſuarum ecclēſiarum multitudine, ut bene in omnibus tota Diœceſis, alioqui vaſta & ampla gubernaretur, qui Diaconi dein ob jurisdictionem & poteſtatem ſibi ab Episcopo demandatam dici cœperunt Archidiaconi, inter quos unus ſemper ceteris honore & dignitate præſtabat, nimirum is, qui jurisdictionem habeat in clericis & presbyteros Ecclēſiæ Cathedralis & aliarum, quæ in urbe, cui præerat Episcopus &c. poſſet. que iſtiusmodi Archidiaconatus plures in eadem Ecclēſia Cathedrali per ſeniores Canonicos ex conſuetudine ejuſdem ecclēſiæ optari, indicat Fagn. *loc. cit.* pro ut in Cathedrali Monasterienſi fieri videmus.



CAPUT SECUNDUM.

De iurisdictione & potestate Archidiaconi.

Quaest. 639. An iurisdictionem habeat Archidiaconus?

1. **R**esp. primò, Dubitari non potest, habuisse olim & exercuisse iurisdictionem Archidiaconos, eamque amplissimam, ut patet ex toto *tit. de off. Archidiacon.* ubi *c. 1.* dicitur post Episcopum Vicarius in omnibus, oculus Episcopi &c. dum enim vice Episcopi cuncta observat & circumlostrat, ut dicitur in *c. Diaconi*. Dùmque imperat Subdiaconis & Levitis, sollicitudinemque & observantiam parochiarum habet, & iurgia singulorum audit, & in negotiis minimè arduis, quæ correctione & emendatione egere prospicit, corrigi & emendat &c. ut distinctè refertur in *c. ad hæc h. r.* proculdubio, ut ait Lotter. *de re benef. l. 3. q. 7. n. 35.* iurisdictionem habet. Patet etiam hoc ipsum ex eo, quòd uti dictum supra, gradus dignitatis constituatur ex administratione & iurisdictione Lotter. *loc. cit. n. 23.* adeoque, cum Archidiaconus de iure communi sit prima dignitas, necesse est illum de iure communi habere iurisdictionem, quamvis ut dictum ibidem necesse non sit, ut habeat eam actu, sed sufficiat illam habere habitu, ut quoque dictum supra.

2. Resp. secundò. Sed nequò dubium spectato iure communi habere illum hanc iurisdictionem fore externi seu judicialis (ad quam spectant precipere, inobedientes & delinquentes pœnis & censuris coercere, iurgia & causas audire, visitare ecclesias,) Azor. *p. 2. l. 3. c. 14. q. 3. in fine.* Laym. in *c. Archidiaconis. h. r.* Lotter. *loc. cit. num. 36.* ubi inquit: Licet Alex. *Conf. 142. n. 5. l. 6.* pronunciaret, hanc iurisdictionem potius esse ex consuetudine, quam ex iure communi, tamen rectius locutus fuisset, dicendo esse de iure communi; Verumtamen aliquando ex consuetudine viciari sive elidi. Quòd spectat, quòd dictum *cap. preced. q. 4.* nempe Archidiaconum dici Vicarium Episcopi legitimum, eò quòd directè à lege consequatur suam iurisdictionem ad distinctionem Vicarii Generalis Episcopi.

3. Resp. tertid. Hodiedum tamen iurisdictione illa ampla Archidiaconi valde est per consuetudinem imminuta, Lotter. *loc. cit.* Barbol. *jur. eccles. l. 1. c. 24. n. 37.* Zerol. *pr. Episc. p. 1. v. Archidiacon.* Et ita de facto Archidiaconorum auctoritas & iurisdictione accisa in pluribus Italia, Hispania, Germania, Belgii locis, ut ferè maneat omni in Clericos, præsertim Cathedralium ecclesiarum iurisdictione destituta, reservatà tantum eam in Clericos alios parochialium civitatis, aut rurales, earumque parochianos. Atque ad diffiniendam cognoscendamque eorum iurisdictionem & potestatem, quousque ea se extendat, standum est huiusmodi consuetudini

aut statuto, seu iuri speciali singularum ecclesiarum. Lotter. *loc. cit. n. 37.* Pirh. *ad h. r. num. 1.* Quin & contingere potest ex singulari iure vel consuetudine, ut non sit oculus Episcopi, id est, nullum prorsus officium aut iurisdictionem obtineat, ejusque officium cum omni iurisdictione transfusum sit in aliam personam Capituli, v. g. in Archipresbyterum, Decanum, Vicarium spiritualem Lotter. *loc. cit. num. 38. & 39.* & sic de facto in quibusdam ecclesiis est sine omni iurisdictione & administratione. Pirh. *loc. cit.* Sic hodie in pluribus locis Germaniæ ne quidem superesse nomen Archidiaconi, vel manere absque omni prorsus in alios iurisdictione ac potestate, illiusque loco Vicarium Generalem substitutum fuisse, inquit Laym. *Theol. moral. l. 4. tract. 2. c. 4. num. 4.* Causam verò, cur ita Archidiaconorum auctoritas per Tridentinum contrariamque consuetudinem sit imminuta; imò in pluribus locis abolita, eam unà cum sollicitudine eis commissa revocantibus ad seipos Episcopis, vel Vicarios suos generales, volentibus Episcopis per seipos intendere gregi suo, fuisse Archidiaconorum, qui ante sæcula præesserunt (& utinam illorum solorum) negligentiam assignat Laurent. Dript. *loc. cit.* utique ex Barbol. *loc. cit. n. 8.* ubi: *cum hodie ipsorum Archidiaconorum incuria vel imperitia, seu Episcoporum potentia omnis pene iurisdictione extincta sit &c.* Verumtamen etiam hæc ita universaliter accipienda non sunt, ac si in ecclesiis omnibus, ubi eorum nomen adhuc existat (uti illud adhuc existat in plerisque) eorum iurisdictione penitus extincta sit, vel etiam non nisi in mero habitu sit penes illos; sed solum, quòd iurisdictione competens illis per antiquos Canones adæquatè sumpta, non tamen adæquatè recesserit ab aula. hoc enim vult Barbol. *loc. cit. n. 8.* dum ait: in tota Hispania nullus reperitur Archidiaconus, qui totam illam iuris communis retineat potestatem. Item Zerol. *loc. cit.* dum ait: antiquitus Archidiaconus de iure communi habebat multas iurisdictiones, quibus (intellige, non omnibus, sed pluribus) hodie per consuetudinem contrariam est privatus. Postquam enim multa enumerasset, quæ non potest amplius Archidiaconus, addit in fine: cetera remanent in robore suo, nisi per contrariam consuetudinem eis sint ablata. & quòd immediate præmiserat, licet de iure habeant iurisdictionem, non tamen in actu per consuetudinem id intelligendum quòd ad ea, quæ eis adempta videmus. Nam à plerisque adhuc hujus temporis Archidiaconis exerceri videmus plures antiquæ illius iurisdictionis partes: audiri iurgia, visitari parochias, cognosci de excessibus, eosque ab ipsis puniri, ac ita iis adhuc modò concedenda, & nullatenus adimenda, quæ Tridentinum, Episcoporum consensus, præ-

scriptio

scriptio legitima in districtibus eorum jurisdictioni subiectis permittunt, nec minus invenire adhuc hodie datur Archidiaconos, qui in partibus Diocesis sibi ab Episcopo concreditis curam animarum sedulo invigilant, sequē in partem sollicitudinis episcopalis vocatos, & pro animabus sibi commissis, & delinquentium rationem Deo reddituros, ut dicitur in *c. ut Archidiaconus. & c. ad hac. h. t.* bene perpendunt.

Questio 640. An jurisdictione Archidiaconi sit ordinaria, an delegata?

1. **R**esp. eam non secus ac Vicarii Generalis Episcopi esse ordinariam. Fagn. *in c. ad hac. h. t. n. 29.* citans Innoc. & Host. *in c. 1. h. t.* Laym. *in c. 1. h. t. n. 3.* Pirh. *ad h. t. n. 5.* Et quidem contentiosam, ut addit Pirh. tum quia jurisdictionem ordinariam tribuit Vicaria perpetua juxta *L. 1. Cod. de off. qui vices alter. gerit.* Archidiaconus autem in omnibus est Vicarius perpetuus Episcopi *c. 1. h. t.* tum quia est ad universitatem causarum. Fagnan. Pirh. *loc. cit.* Unde causę Clericorum civiles, saltem minores, vel ubi de crimine civiliter agitur, ad Archidiaconum tanquam Judicem ordinarium in prima instantia sunt deferendę Pirh. *loc. cit.* citans Jo. And. *in c. 1. h. t. n. 4.* & Innoc. *in idem cap. sub princ.*

2. Limitat responsionem Barbof. *l. 1. r. jur. eccl. c. 24. n. 33.* nempe quod non habeat in omnibus jurisdictionem ordinariam, sed in iis tantum, quę a jure vel consuetudine ei sine speciali mandato Episcopi ei competunt exequenda, juxta *c. fin. h. t.* de jure autem communi competere ei ait Barbof. jurisdictionem in visitando & corrigendo in modicis tantum causis; cum *c. ad hac. h. t.* dicatur, ardua negotia non debere absque majoris sui presentia terminare, & sic jurisdictionem illam ordinariam non habet in criminalibus; nec in civilibus arduis, sed tantum in civilibus parvi valoris. Barbof. ex Roman. *conf. 371 n. 4.* & Cardin. Tusch. *Lit. A. conclus. 482. n. 9.*

Questio 641. An, & qualiter hæc jurisdictione ordinaria Archidiaconi sit subordinata jurisdictioni episcopali?

Resp. est hæc ejus jurisdictione ordinaria illi quidem propria & distincta a jurisdictione Episcopi, dum Archidiaconus tribunal veluti proprium habet, eidem tamen seu Consistorio, & tribunali episcopali tanquam inferior subordinata. Unde & ab Archidiacono ad Episcopum vel ejus generalem Vicarium appellari potest juxta *c. referente. de prob. nou.* secus ac juxta gloss. *in L. 1. c. de off. Vicar. à Principum secularium Vicariis & urbium prefectis appellare licet.* Laym. *in c. 1. h. t. n. 3.* & *in c. fin. n. 1.* Pirh. *loc. cit. n. 2.* & 5. juxta dicta a nobis supra q. 4.

Quest. 642. In quas personas, & in qua loca se olim extenderit, & modo extendat jurisdictione illa Archidiaconorum?

1. **R**esp. ad primum. Spectato jure communi extenditur ordinaria illa fori externi jurisdictione Archidiaconorum (vi cujus visitare, præcipere, corrigere, punire, causas certas

cognoscere possunt) præcipue in ceteros Clericos omnes tam qui in Civitate quam qui extra illam per ceteram Diocesim habitant, utpote quibus *c. 1. & c. ad hac. h. t.* omnium Clericorum cura & sollicitudo post Episcopum demandatur Laym. *in c. 5. h. t.* Pirh. *ad h. t. n. 5.* Barbof. *loc. cit. n. 1.* Ita ut etiam ipsi Archipresbyteri (qui & ut Laym. Decani vocantur) jurisdictioni Archidiaconi subiecti sint. Pirh. *loc. cit. num. 4.* Laym. *ad c. ad hac. h. t.* Fagn. *ibidem. n. 10.* juxta expressum *cit. c.* textum. Quod tamen, ut Fagn. intelligendum quod ad ea tantum, quę Archidiacono competunt de jure vel consuetudine, ita ut ratione hujus jurisdictionis Archidiaconus nullam habeat in Archipresbyterum autoritatem, Neque in Clericos solum, sed etiam in laicos v. g. parochianos jurisdictionem illam suam exercent. Fagn. *loc. cit. num. 28.* ubi curam habet tam in urbe positorem quam eorum, qui parochias habitant &c. Et sic constat ex moderna etiam locorum plurium praxi, dum in visitationibus de excessibus parochianorum cognoscunt, eosque puniunt Archidiaconi.

2. Resp. ad secundum. In quibusdam Diocesis dicta Archidiaconorum jurisdictione se extendit ad parochias civitatis episcopalis ad certum districtum adjacentem, qui fines Archidiaconatus dicuntur. In aliis locis, dum plures sunt Archidiaconi, singuli singulas Diocesis partes certas veluti regiunculas sibi subiectas habent Laym. *ad c. fin. h. t. num. 1.* At ita quoque juxta dicta jam saepe in hac extensione jurisdictionis ratio consuetudinis specialis habenda ac tenenda est.

Quest. 643. Num ergo etiam Archidiaconus jurisdictionem habeat in regulares ab Episcopo non exemptos, ac monasteria sita intra fines seu districtum sui Archidiaconatus?

Resp. non habet illam, nisi fortè generalis aut specialis consuetudo id ei tribuat. Fagn. *in c. dilecto. h. t.* citans Abb. Jo. And. Burr. Anchar. &c. Laym. *in cit. c. dilecto. num. 2.* Pirh. *ad h. t. num. 16.* ubi: Archidiaconus in monasteria sita intra fines suos, etsi exempta non sint a jurisdictione Episcopi, jurisdictionem non habet, nisi eam per diuturnam consuetudinem legitime præscripserit. Hanc quoque rationem, cur Archidiacono Religiosi etiam non exempti subiecti esse non debeant quo ad correctionem, visitationem, aliosque actus jurisdictionis addit Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. *n. 17.* quod cum præter Episcopum ordinarius Religiosorum prælatus sit Abbas seu Præpositus regularis, consensaneum non sit, ut alium Ordinarium habeant. Sed neque ex eo, quod, ut dictum, Archidiaconus spectato jure communi omnem curam totius cleri habeat juxta *c. 1. & c. ad hac. h. t.* quod ad jurisdictionem in regulares fundatam intentionem habet, quoties ostendit, monasterium intra fines sui Archidiaconatus situm fuisse sicut eam fundatam habet Episcopus, ac proinde in petitorio semper obtinet, ut constat ex *c. si quis Abbas. 18. q. 2.* nisi monasterium vel privilegio, vel præscripta consuetudine exemptionem ostendere posset. Nam licet Archidiacono cura totius Cleri commissa sit, tamen hoc nomine

non veniunt religiosi aut monasteria; juxta Regulam communiter traditam; quod in materia odiosa aut præjudicante appellatione Cleri regulares non comprehendantur. Laym. *loc. cit.* Porro si Archidiaconus in plena v. g. novem monasteria ejusdem Ordinis ac qualitaris intra eodem fines diuturna consuetudine comparasset jurisdictionem, præsumptionem juris esse, quod etiam in decimum monasterium ejusdem qualitaris jurisdictionem habeat; cum de similibus idem jus cæteri debeat, argumento *c. cognovimus*, 2. q. 2. ita tamen ut contra eandem præsumptionem admittatur probatio in contrarium, dum nimirum monasterium illud decimum ostendat, Archidiaconum jurisdictionem in se nunquam exercuisse, vel etsi eam exercere voluerit, admissum tamen non fuisse, tradit Pirh. *cit. n. 16. notab. 3.* secutus Laym. *loc. cit.* ita explicantem textum alias difficilem *cit. c. dilecto*. pro cuius textus quoque intelligentia vide, quæ habet Fagn. in *c. nullus. n. 24. de foro compet.*

Questio 644. An sede episcopali vacante, usque dum eligitur Vicarius Capituli, jurisdictionem exercent Archidiaconus?

1. Resp. primò: Quod Archidiaconus, etiam mortuo Episcopo sede vacante, exercere pergat jurisdictionem suam propriam, quam habebat & exercebat Episcopo vivo, seu sede plena, de hoc inquam dubitari non potest; cum ea utpote ordinaria & distincta à jurisdictione episcopali per mortem Episcopi non elidatur aut suspendatur, quemadmodum jurisdictio Vicarii Generalis Episcopi, utpote facientis idem cum Episcopo consistorium, eo mortuo mox expirat. Verum illud in dubio remanet, nam sede vacante saltem per octiduum illud, intra quod juxta præscriptum Trid. *sess. 24. c. 16.* à Capitulo eligendus Vicarius, exerceat jurisdictionem & munus Vicarii, nempe talis, qualis est Vicarius Generalis Episcopi eo vivente, vel Vicarius Capitularis sede vacante. Ad quod

2. Resp. secundo: Licet de jure communi absente Episcopo ejusque Vicario Generali, Archidiaconus ipso facto, sine alia constitutione, exerceat jurisdictionem & munus illud dicti Vicarii, ut Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 36. n. 10.* Barbof. *loc. cit. n. 35.* Pirh. *ad b. r. n. 7.* citantes Cardin. Tusch. *lit. A. concl. 482. n. 1.* (de talis autem Vicarii munere loqui citatos AA. ex eo satis patet, quod signanter dicant, exerceat illud munus Vicarii, & esse vices gerentem Episcopi absente Episcopo; siquidem munus Vicarii illi aliàs proprium seu distincti à Vicario Episcopi, etiam præsentis Episcopo exercet Archidiaconus) non tamen exercet illud sede vacante, ne quidem pendente illo termino octo dierum; eò quod sede vacante intra dictos octo dies totum Capitulum potest & debet administrare. Pirh. *loc. cit.* Barbof. *loc. cit.* uti & *de off. Episc. alleg. 54. n. 163.* citans Quarant. in *Sum. Bulkar. v. Sed. vac. s. duodecimo.* Riccium in *pr. for. eccles. post resol. 505. in notab. de Vicar. Capit. sed. vac.* Card. de Luca *ad Trid. d. 31. num. 9.* ubi inquit: in eo octo dierum spatio, quod conceditur ad Vicarii deputationem, frequentius antiquiore tempore oriebantur controversiæ inter Capitulum & primam dignitatem super jurisdictionis exercitio, quod à prima dignitate prætendi solebat, ubi ea præsertim sit

Archidiaconus, qui antiquorum Canonum auctoritati inniti solet, ex quorum dispositione Vicarius natus in temporalibus esset. Verius autem Capitulo regula assistit; quoniam hæc antiqua & nativa vicarialis potestas Archidiaconi hodie de consuetudine ab Aula recessit, & moderni Archidiaconi sunt potius abusivi, & in sola nuncupatione &c. Contra Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 61.* ubi ex Abb. in *c. dilecto. de off. Archid. n. 3.* & Foillero ait: interim quod à Capitulo sede vacante tractatur de Vicarii electione facienda, Archidiaconum sustinere vices Vicarii in iis, in quibus de jure communi est Vicarius, tradit Foller. post Abb. Et expressus de suo ait idem Sbroz. *loc. cit. in addit. ad q. 3.* Archidiaconi etiam dici possunt Vicarii Episcoporum ipso jure intra octo illos dies Capitulo non eligente Vicarium &c. Idem cum Sbrozio sentit Zerol. *pr. episc. p. 1. v. Archidiacon.* dum ait: dicitur potest, quod infra octo illos dies Capitulo non eligente Vicarium, Archidiaconus est Vicarius ordinarius. Ratio est; quia à jure antiquo non est recedendum, nisi quoad excepta in novo; sed Concilium dat spatium Capitulo eligendi Vicarium infra octo dies; ergo durante ostentio restat Vicarius ipso Archidiaconus de jure communi &c. Sed neque id jure communi, præsciendò à decreto Trident. potuit aliàs Archidiaconus; cum jura illa, quibus Archidiaconus dicitur fungi munere talis Vicarii, loquantur solum de sede plena; quia loquantur in casu Episcopi absentis. Ita expressè Barbof. *cit. n. 35.* à quo dissentire videtur Pirh. *loc. cit.* dum ait: de jure communi absente vel mortuo Episcopo id posse Archidiaconum; hodie tamen vi Tridentini totum Capitulum debere habere administrationem.

3. Resp. tertio. Potest nihilominus Archidiacono adscribere breve illud exercitium jurisdictionis intra dictum octiduum legitima consuetudo Card. de Luca *loc. cit.* ubi tamen & hoc ipsum limitat; ut id illi tunc competat non ratione Archidiaconalis dignitatis, sed potius in ratione primæ dignitatis, quæ, ut ait, nomine Capituli individuos actus explicat, ut in ecclesiasticis ac divinis functionibus Episcopo absente vel sede vacante contingit &c. Quinimo tradit Barbof. *cit. num. 35.* posse quoque Archidiaconum acquirere quasi possessionem administrandi Episcopatum tam in spiritualibus quam temporalibus sede vacante, & si de hujusmodi quasi possessione constiterit ex pluribus actis ab eo gestis tempore, quo sedes vacavit concurrentibus dictam administrationem & jurisdictionem episcopalem, debere ei dari mandatum de manutenendo; uti id datum fuit per Rotam Archidiacono Vicentino in una Vicent. administrationis Episcopatu. 16. Decemb. 1624. citatque Barbof. pro hoc Postium post suum tract. *mandati de manutenendo. decis. 194.* ubi etiam num. 2. probet, quod licet de jure communi administratio Episcopatus sede vacante spectet ad Capitulum juxta *c. bona memoria. de appellat.* tamen de consuetudine possit etiam spectare ad Archidiaconum. & num. 6. dicat, his non ob stare, quod ex dispositione Tridentini *sess. 24. c. 16.* deputatio Vicarii spectet ad Capitulum, quodque dictum Concilium ibidem in fine habeat decretum irritans, inficiens titulum & possessionem contrariam, eo quod decretum irritans operetur, quando est justificarum, non ante. ac proinde, cum in hoc nostro casu

casu dubium sit, num intret dispositio illa Tridentini, ex quo illud non tollit consuetudinem contrariam de jure communi permissam, merito non obstat Archidiacono pendente judicio manutentionis dictum decretum, quia interim debeat in sua possessione manereri. Ac denique *n. 10. & seq.* dicat, similiter non obstat, quod Archidiacono resistat jus, quo casu non datur manutentio inferiori sine titulo. Tum quia licet jus assistat Capitulo, non tamen resistat Archidiacono, ex quo potest etiam dicta administratio spectare ex consuetudine ad inferiorem; tum quia datur etiam manutentio inferiori, quando ipsius possessio est diuturna, prout est in præfente casu. Ac denique apud eundem Postumum, *13. Rota in dicta Vicentina* dicat, non obstat, quod non constat de possessione moderni Archidiaconi; quia sufficit, quod constat de possessione antecessorum ejus in illa dignitate; liquidem hæc etiam juvat successorem; cum dicatur possidere ipsa dignitas, ut Felin. *in c. constitutus. n. 14. de rescript.* & Rota *devis. 1. de rescript. in novis.* Verum de his plura alibi, ubi quis actui electionis Vicarii Capitularis præsidere debeat.

Questio 645. Quanam complectatur potestas Archidiaconi.

Resp. in genere, ea haberi ferè in *c. 1. & c. ad hæc. h. r.* item diligenter ea recenseri à Butrio & Abb. *ad cit. c. ad hæc in princ.* Revocarique posse ad duo præcipuè capita, ut Fagn. *in cit. c. ad hæc. n. 6.* nempe ad ea, quæ ei competunt tanquam principi Diaconorum Cathedralis, & ad ea, quæ sunt simplicis jurisdictionis Episcopalis. illa enim competunt ei ea ratione, qui caput Diaconorum est; hæc verò ei tributa sunt à jure, ut Episcopus facilius vacare possit his, quæ sunt Ordinis & autoritatis Episcopalis, à quibus Archidiaconus excluditur. Fagn. *loc. cit. n. 7.* Proinde exigua non est ejus potestas; cum jurisdictionem habeat contentiosam, & in ea sit curæ episcopalis socius & administrator. Fagn. *loc. cit. n. 23.*

2. Resp. secundò in specie, ea ferè enumerari ab eodem Fagn. *n. 24.* nempe quòd ad ejus potestatem spectet primò audire jurgia singulorum, *c. ad hæc. h. r.* Secundò instituere, *c. si plebibus. dist. 63.* Tertio præcipere subiectis obsequia, *c. ad hæc. de excess. prælat.* Quarto imperare Diaconis ac Levitis *c. ad hæc. h. r.* Quintò examinare promovendos ad sacros Ordines & beneficia, *eod. c. ad hæc.* Sextò quæ corrigenda viderint corrigere & emendare. Septimò curam habere in urbe positurum, & parochias habitantium, *c. r. h. r.* Octavo visitare Diocesium. Quæ omnia, & si quæ alia præterea ei competant, si Archidiaconus voluerit, pro ut tenetur sedulo adimplere, profectò, ut ait Fagn. *loc. cit. n. 30.* non supererit illi otium ad alieni muneris negotia peragenda. De cetero, dum ex prædictis aliqua ex consuetudine in hac vel illa ecclesia ei non competereat, ab ea consuetudine non est recedendum; cum in prædictis magna sit vis consuetudinis. Fagn. *cit. n. 30.* Nunc de eorum singulis & aliis quibusdam accuratius. Unde sit

Questio 646. Qualia jurgia audire, & quas causas cognoscere possit Archidiaconus?

Resp. primò, Dum dicitur de Archidiacono, *c. ad hæc. h. r.* audire debet jurgia singulorum; intelligendum id est de jurgiis Clericorum humilibus, id est, minoribus; majora liquidem jurgia, & ardua eorum negotia ad altiorem se, nempe Episcopum, referre debet. Fagn. *loc. cit.* citans Host. & Jo. And. Pirh. *ad h. r. n. 6.* similiter causas Clericorum civiles minoris momenti, vel etiam ubi civiliter agitur de crimine, cognoscere potest. Fagn. Pirh. *ll. cit.* citantes Innoc. *in cit. c. ad hæc in princ.* Jo. And. *ibidem n. 4.* Causæ enim ejusmodi in prima instantia ad Archidiaconum sunt deferenda Pirh. *loc. cit.* à quo tamen etiam in his datur ab Episcopo vel ejus Vicarium Generalem appellatio juxta dicta superius. Causas verò civiles arduas cognoscere non potest. Pirh. *loc. cit.* Tusch. *v. Archid. concl. 482. n. 9.* juxta expressum textum *c. ad hæc. §. item in epistola.*

2. Resp. secundò in specie. Primò causas criminales & matrimoniales cognoscere nequeunt Archidiaconi, uti nec Decani, aliique inferiores Episcopo, Zerol. *p. 1. v. Archidiacon.* Pirh. *cit. n. 5.* juxta expressum textum Trident. *sess. 24. c. 20. de Reform.* ubi ait: *Ad hæc causas matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquuntur, etiam si in presenti inter Episcopum & Decanum seu Archidiaconum, aut alios inferiores super causarum illarum cognitione his aliqua in quacumque instantia pendeat &c.* Nil tamen obstat, quòd minus Archidiaconi, alique inferiores Ordinarii dictas causas cognoscant, ubi sunt in immemoriali consuetudine seu possessione; utpote cui possessioni Concilium non derogavit, si hujusmodi quasi possessio tribus cofortibus, vel etiam per unam sententiam, quæ transierit in judicatum (hanc enim quòd ad hoc punctum tribus æquivalere censuit S. Cong. *12. Febr. 1598.* apud Gallemart. *ad loc. cit. Trid.*) probata fuerit. Pignat. *Tom. 4. cons. 35. n. 24. & Tom. 10. cons. 67. n. 22.* juxta ejusdem S. Cong. *declarat. 22. Jan. 1598.* apud eundem Gallemart. *loc. cit.* sic inquiringis: *Censuit S. Congregat. Concilii, Decreto ejusdem Concilii. c. 20. sess. 24. non esse sublatam immemorialem consuetudinem, secundum quam inferiores Episcopo cognoscunt causas matrimoniales & criminales; idque si hujusmodi immemorialem consuetudinem tribus sententiis conformibus probarint, non esse impediendos eam exercere.* Item juxta *declarat. ejusdem S. Cong. apud eundem Gallem. de 28. Martii 1598.* quæ sic habet: *Censuit Congregat., quando inferiores Ordinarii volunt procedere in criminalibus, si legitime constat de immemoriali quasi possessione Archipresbyteri in cognoscendi decidendis que causis criminalibus suorum Clericorum, Decretum illud Concilii non derogare immemoriali quasi possessioni; unde in ea Archipresbyter conservandus est &c.* Interim tamen, donec probetur immemorialis illa, cognitio causarum illarum ad Episcopum spectabit. Pignat. *loc. cit.* item *Tom. 10. cons. 67. n. 22.* juxta *declarat. S. Cong. Concilii in Burgenf. & Salernit. & alibi, ut & apud Gallem. de 28. Martii. 1598.* uti etiam Pignat. *loc. cit.* ait, *declarasse S. Cong. in Messanenf. pendente judicio inter Episcopum & Ordinarium inferiorem de super cognitione causarum matrimonialium, criminalium, legatorum ad pios usus & aliorum Episcopo reservatorum, Episcopus debeat in iis omnibus cognoscere. Sed neque decretum illud Tridentini extendit se ad illos, qui nullius Diocesis sunt, sicut nec ad Decanum & Capitulum ab Ordinarii jurisdictione exemptos;*

nec ad eos, quibus ex privilegio Apollolico caufarum & controversiarum contra, & in ipsos, personarumque subjectas ratione contractus cognitio competat. Itaque Abbates, Praepositi, seu Archipresbyteri nullius Dioeceseos, qui Ordinarii juris dictione ab immemoriali tempore funguntur non comprehenduntur hoc decreto. ita fere Gallermatt, *loc. cit.* Procedere vero adhuc dictum decretum, dum Archidiaconi, Decani ceterique illi inferiores essent tantum exempti, probat Pignat. Tom. 10. *conf.* 67. n. 21. & 24.

3. Secundò causas concubinatús Clericorum cognoscere nequeunt Archidiaconi. Pirh, *cit. n. 5.* Zerol. *loc. cit.* juxta expressum textum Trid. *sess.* 25. c. 14. de Reform. sic inquit: *dictorum omnium (agit autem in cit. c. de concubinatú Clericorum) cognitio non ad Archidiaconos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat &c.* Sed neque hoc decretum habet locum, ubi immemorialis consuetudo est pro Archidiacono, aliisque inferioribus. Gallem. *ad cit. loc. Trid.* Testans sic declaratum à S. Cong.

4. Tertio, Neque causas beneficiale cognoscere potest Archidiaconus Trid. *cit. sess.* 24. c. 20. ubi: *Cause omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat, cognoscuntur.* Nihilominus & has Archidiaconi stante immemoriali cognoscunt. Pignat. Tom. 10. *conf.* 67. n. 16.

Quaestio 647. An & quas pœnas infligere possit Archidiaconus.

Resp. pœnas autoritate propria non imponit. Fagn. *ad c. ad hœc. h. t. n. 27.* dum dicitur, *c. i. h. t. paraciam universam circumeat, & cuncta; qua emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigat & emendet &c.* præterquam quòd intelligendum id non nisi de correctione minorum delictorum, majora enim ad Episcopum deferre debet; Pirh. *ad h. t. n. 8.* citans Abb. *in c. h. t. n. 2.* accipitur de correctione, quæ fit verbis, monitionibus ac præceptis. Fagn. *loc. cit.* & ex eo Laurent. Dript. *in Speculo suo Archid. art. 2.* Nihilominus posse eum (intellige de se, & irrequisito Episcopo) modicam pœnam imponere. v. g. suspendere ad modicum tempus, tradit Fagn. *loc. cit.* ubi ait: si quis id dicat, forsitan non errabit secundum Innoc. & Jo. And. *ad c. i. h. t. v. corrigat.* & *ad c. licet. de pœnis.* Atque ita etiam videmus, Archidiaconos in Germania in suis visitationibus, secundum exigentiam excessuum vel pecuniarias multas, vel afflictivas & medicinales corporeas infligere de consensu, ut Laur. Dript. Episcoporum, intellige generali, non speciali. Privare vero beneficiis solum potest autoritate & nomine Episcopi. Barbof. *jur. eccl. l. 1. c. 24. n. 28.* Fagn. *cit. n. 27.* ita intelligi posse dicens decretalem *Referente. de præb.* ubi Archidiaconus privat beneficiis. Illud hic notandum ex Laym. *in c. cum Episcopus. de off. jud. ordinar.* Quòd si Clericus peregrinus in Archidiaconatu delinquat, Archidiaconus eum sua autoritate punire non possit, sed Episcopus tanquam proprius & generalis loci Ordinarius; eò quòd Archidiaconi & alii prælati inferiores non ita ac Episcopus propriè territorium suæ jurisdictionis habere censentur.

Quaestio 648. An excessus puniri possint ab Archidiacono pœnis pecuniariis?

1. **R**esp. affirmative, argumento Trident. *sess.* 25. c. 3. de reform. ubi expressè dicit: *liceat omnibus Judicibus ecclesiasticis cujuscunque dignitatis existant, si eis expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam laicos per multas pecuniarias, seu per captionem pignorum, personarum distractionem per suos proprios, aut alienos executores procedere &c.* Jam verò est Judex ecclesiasticus; ergo licebit ei excessus, quorum cognitio & correctio seu punitio ad illum spectat, punire multâ pecuniariâ. Idquæ non solum, dum jus ipsum aut statutum aliquod v. g. synodale, aut consuetudo pro delicto aliquo pœnam aliquam pecuniariam, vel hanc aut aliam, sed etiam ubi nullam determinat (quidquid sit de eo, num tale statutum aut consuetudo statuens pro quolibet delicto certam pœnam pecuniariam valeat; quod per Fagnanum negari ait Laur. Dript. *in suo Spec. Archid. a. 4.* eò quòd exinde exurgat dissolutio ad delinquendum, dum delinquens, maxime dives, non pertimescit culpam, sperans, multòque magis sciens nummis eam redimi posse, pro quo etiam Dript. citat Abb. *in c. licet. de pœnis. num. 5.* Host. Jo. And. *in c. fin. de constit. Marian. Socin. &c.*) Quidquam inquam de eo sit, poterit pro suo arbitratu pœnam pecuniariam infligere Archidiaconus; cum in textu Trid. dicatur: *liceat, si eis videbitur, per multas pecuniarias procedere.* Sed neque etiam tantum, dum impositio pœna pecuniariæ est pro coercenda contumacia. De quo non dubitat Fagn. *in cit. c. licet* argumento *c. causis. de off. deleg. & l. 1. ff. Si quis Judici non obtemperet.* Abb. Jo. And. Socin. &c. Sed etiam quando infligitur directè pro excessu diffinitivam pronuntiandò sententiam. Sic enim satis indicant verba Tridentini.

2. Neque his obstat *c. irrefragabili. de off. jud. ordinar. §. ceterum* ubi præcipitur, ut ecclesiarum prælati diligenter provideant, ne statutum illud salutare corrigendi subditorum excessus, & reformandi mores ad quæstum pecuniæ convertant. Nam aliud longè est ex tali correctione per multas pecuniarias quæstum facere, easque instituere astu avaritiæ & cupiditatis, quòd utique per se turpe & illicitum est, adeòque rectè vetatur, eidemque satis obviatur per Trid. dum *loc. cit.* expressè vult, ut dicta multæ pecuniariæ eo ipso, quòd exactæ fuerint, mox piis locis assignentur; aliud eas abaque tali quæstu & fordido avaritiæ spiritu indicere amore correctionis & coercendi criminis. Unde jam etiam non licet eas imponere, dum pecuniariæ pœnæ videntur vilipendi, & ad emendationem insufficientes. Uti nec id licet Archidiacono, ubi vetat consuetudo.

3. Jam verò, dum pœna alia dictata esset à jure pro hoc vel illo delicto, num possit Archidiaconus ultra pœnam illam juris imponere pœnam aliquam pecuniariam (præsciendò à contumacia) meritò dubitatur. De Episcopo; modò non procedat ex radice cupiditatis, id admittit Fagn. apud Dript. *loc. cit. a. 4.* eò quòd Episcopus Canonem adjuvando

vando novam poenam adungere possit, pro quo Dript, citat gl. in Clem. Romani. v. tolli. de elec. quod tamen ipsum salva tanti viri auctoritate ait Dript. se non probare, ne, si praeter poenam juris, quae supponitur justa & delicto conveniens, superaddatur nova, videatur bis in idipsum puniri delictum.

4. Item adhuc magis dubitatur, num, dum pro crimine imposita est à jure poena alia quam pecuniaria, Archidiaconus illam mutare possit in pecuniariam. De Judice alio superiori, qui habet potestatem dispensandi in crimine v. g. Episcopo juxta c. at si Clerici. §. de adulter. de Jud. admittitur ordinariè id eum posse, etiam post latam sententiam, & pro hoc à Dript. citantur Butrio. Host. Felin. Anchar. in cit. c. at si. Quin & post sententiam condemnatoriam pronunciatam (in genere loquendo) posse Judicem ecclesiasticum, sive is Ordinarius sive delegatus sit, dum adhuc sedet pro tribunali in continente poenam à jure impositam permutare juxta legem, quae vult Judicem secundum qualitatem posse poenam arbitrari & temperare; id verò non posse Judicem delegatum post diu latam sententiam, quae facultate dispensanda caret, ex Fagn. astituit Dript. vide dicta de hoc de Vicario Generali Episcopi, quae à fortiore locum habent in Archidiacono.

Questio 649. Num multas pecuniarias à se impositas sibi applicare, seu in suum usum convertere possit Archidiaconus.

1. **R**esp. negativè. Sed ex piis locis aut usibus impendendæ. Hostiens. in c. irrefragabili. de off. Ordinar. num. 2. vers. Caveat tamen, ubi dicit cavendum esse Prælati ecclesiasticis, ne poenas pecuniarias in pios usus convertendas sibi inbursent; quia tunc vehementer præsumerentur id facere non ad correctionem, sed ad questum. Gemin. in c. si Canonico §. licet. à n. 4. de off. ordinar. in 6. Covar. l. 3. Var. resol. c. 9. & hæc juxta expressum præceptum Tridentini sess. 25. c. 3. de Reform. ubi postquam dixisset: licet Judicibus ecclesiasticis per multas pecuniarias procedere: hæc adjicit conditionem: ita tamen, ut dicta multa pecuniaria locis piis ibi existentibus eo ipso, quod exacta fuerint assignari debeant. Ex quibus etiam infert Barbol. citans pro hoc Piaceti. in pr. Episcopi. Episcopum (idem ut recte addit Dript, est de Archidiacono) ne quidem posse convertere illas multas in usum fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, aut etiam in mercedem seu salarium Vicarii sui Generalis aliorumve Officialium Curia. De quo vide dicta à nobis supra, uti de Salario Vicarii Generalis ubi etiam dictum, ne quidem consuetudinem ad hoc suffragari, eò quòd, ut Fagn. S. Congreg. Concil. declaravit istiusmodi poenas pecuniarias ab Episcopis piis usibus applicandas, contrariis consuetudine non obstantes. Quidquid sit de eo, num talis consuetudo vergat in grave præjudicium pauperum & piorum locorum, quibus tales multæ de jure debita occasione talis consuetudinis subtrahantur, unde gravissimè peccare primos auctores talis consuetudinis piis locis injuriosæ ait Dript. loc. cit. a. §. quidquid inquam sit de hoc. cum tales multæ, etsi dicantur applicari.

P. Leuren. Tract. IV. De Archidiacono.

candæ piis locis, non propterea ita debeantur illis, ut aliò eas convertendo illis fiat injuria, non secus ac, licet dicatur superflua Clericorum eroganda pauperibus, non statim ex eo illis ad ea jus nascitur strictum, ut per subtractionem seu non erogationem illorum in eos dicatur his fieri injuria. Quia potius dicatur consuetudinem talem improbari, quia fomes est avaritiæ & cupiditatis. Jam verò si tales multæ ne quidem ab Episcopo converti possunt in salarium Vicarii aut Officialium, multò minus Episcopus vel etiam Vicarius ipse aut Archidiaconus eas sibi applicare poterit.

2. Illud fortè aliqua ratione in contrarium facere videri possit, quòd in c. dilectus filius. de off. Jud. ordinar. habetur, ubi Abbas Rhoromagensis, ad quem pertinebat citatio hominum quinque parochiarum, item examinatio & decisio cumulativè tamen cum Episcopo Venerensi, postquam exposuisset Papæ, ab antiquo pertinere ad suum monasterium tertiam partem emendarum, quas homines istarum quinque parochiarum pro suis excessibus solvere compellebantur, (super quo ab Episcopo dicto molestabatur) hoc ipsum ei à Pontifice non fuit abjudicatum. Ex quo inferri viderur, posse Judicem ecclesiasticum applicare sibi saltem partem poenarum pecuniarum provenientium ex spiritali jurisdictione, stante saltem antiqua consuetudine. Sed quid si dicatur, ex speciali Papæ concessione id deinceps permissum isti Abbati? aut jam antiquitus obvénisse illi ex privilegio Apostolico, quòd indubitato & audacter prætereundum poterat, ubi illa consuetudo erat immemorialis, quia immemorialitas possessionis illam virtutem habet, ut vi illius præsumatur titulus sufficiens, & allegari possit optimus titulus de mundo. vel si dicatur, dictum Prælatum reipsa applicuisse dictam multam locis & usibus piis, dum non suæ mensæ Abbatiali, sed seu monasterio seu Conventui Religiosorum suorum sustentationi applicaret, sive de cetero monasterium illud fuerit dives sive egens. Vel denique si dicatur, Tridentinum juxta memoratam S. Congregationis declarationem consuetudines istius modi deinceps, ne nascerentur, impedivisse. Quòd verò in confirmationem benignioris hujus opinionis asserti Laur. Dript, nimirum; quòd licet Judex ordinarius astringatur ad gratis reddendum officium argumento c. ad Apostolicam. §. fin. de Simon. & juxta Host. ibidem num. 3. v. ac emenda. posse tamen cum sportulas levare juxta eundem Host. in c. cum ab omni specie. num. 2. de vita & honest. cleric. id inquam parum ad rem facit, dum ejusmodi sportula non sumuntur ex dictis multis pecuniariis.

3. De cetero, dum Episcopus aliq̄ue Prælati ecclesiastici, & inter hos Archidiaconi, qui tales multas imponere possunt, ipsi verè ac evidenter egent, poterunt illas sibi ipsis applicare, & in proprias necessitates convertere, Host. in cit. c. irrefragabili. Jo. And. Felin. But. Gemin. aliique citati à Fagn. in c. grave. de off. ordinar. non secus ac obligatus facere eleemosynam nomine alterius sibi ipsi, vel etiam consanguineis suis, si ipse, aut consanguinei evidenter egeant, applicare potest juxta D. Thom. in 4. sent. dist. 8. q. 2. n. 2. Abb. Felin. &c. Cum hac tamen adhuc distinctione, ut id possit Judex talis ecclesiasticus

Y 2 quòd

quod ad eas multas, quæ à sacris Canonibus vel statutis Synodalibus pro delictis ad rectam quantitatem præfinita. Secus verò fit de iis, quæ ejus arbitrio, vel per sententiam, nulla præcedente Canonum vel statutorum synodalium determinatione; eò quod hæc adhuc piis locis vel usibus sint applicandæ. Fagn. *loc. cit.* & ex eo Dript. juxta quod sapius censuit S. Congregatio. Quin & hac ratione penas non Residentium & concubinariorum applicandas in hoc casu (nempe ipso Judice ecclesiastico egente) adhuc piis locis tradit Barbosa ex decreto Concilii; sic decisum referente Aldan. *incomp. resolut. l. 5. tit. 1. num. 8.*

Quæstio 650. An, & qualiter Archidiaconus ferre possit censuras, & in specie an possit excommunicare?

1. **R**esp. primò. Ex antiqua & primava institutione Archidiaconi potestatem ferendi censuras, & nominatim excommunicationem non habebat; quia olim seu primitus tantum rerum ecclesiasticarum custodia & administratio, nulla autem jurisdictio aut cura animarum eidem commissa fuit. Laym. *ad c. Archidiacono. h. t. Pirh. ad h. t. num. 14.*

2. Resp. secundò. Sed & postmodum, dum progrediente tempore major evasit Archidiaconi potestas, ita ut & curam animarum haberet, ut constat ex *c. cum in cunctis. de elect.* & jurisdictionem ordinariam fori externi in alios clericos *c. 1. & 7. h. t.* Quin & excommunicare & censuras ferre possit, ut manifestè constat ex *c. dudum. de elect.* & *c. 1. de eo, qui furivè ordin. suscep.* & *ibi gl. v. Archidiaconum.* Adhuc tamen hanc potestatem excommunicandi, aliàsque censuras ferendi non tam de jure communi habuit aut modo habet, quam vel ex speciali Episcopi commissione, vel ex consuetudine legitime præscripta. Laym. *loc. cit.* Barbosa. *jur. eccles. l. 1. c. 24. num. 29.* ubi ait: Archidiaconus censuras imponit, non tamen sine Episcopi autoritate (pro quo citat Galgan. *de jur. publ. l. 3. tit. 2. num. 6.*) vel ex speciali consuetudine; non autem nomine proprio, pro quo citat Zech. *de rep. eccl. tit. 24. num. 13.* Suar. *de censur. d. 2. l. 2. num. 9.* Ant. Fabric. *in pr. benef. tit. de benef. cum dignit. num. 24. & c.* Pirh. *cit. num. 14.* ubi: valde probabile est, quod Archidiaconus non jure communi, sed solum vel ex speciali commissione Episcopi, quo sensu accipiendum *cit. c. 1. de eo qui furivè. ord.* vel ex consuetudine legitime præscripta excommunicare possit, aliàsque censuras inferre juxta *gl. in c. Archidiacono h. t. v. promulgare & ibidem Abb. num. 1.* Et clarissimè Azor. *Inst. mor. l. 3. c. 14. q. 3.* ubi: Archidiaconus jure communi non habet potestatem excommunicandi, suspendendi, sacris interdicens, & hoc est, quod volunt jura in *c. Archidiacono. de off. Archid.* potest tamen habere Episcopi autoritate mandatam & commissam, aut consuetudine comparatam, quam habebat olim Archidiaconus Ambianensis, ut constat ex *c. dudum. de elect.* ita ille. Sed neque ex eo, quod de jure communi curam illam animarum consistentem in jurisdictione fori externi habeat, sequitur, habere quoque eum de jure communi potestatem censuras ferendi,

Nam licet Laym. *Theol. mor. l. 1. tract. 5. p. 1. c. 33.* dicat ad hanc jurisdictionem spectare, posse inobedientes penis ac censuris coercere, nil tamen vetat dicere, jurisdictionem illam non ita completè acceptam ei de jure communi competere; argumento nimirum aliorum textuum citatorum. Idque satis exprimit Azor, dum post paulò antè citata ejus verba mox subjicit: jure itaque communi Archidiaconus habet curam animarum, quæ possit clericos corrigere, eorum jurgia & causas audire, delicta ad Episcopum deferre. Atque ita tota res hæc pendet à consuetudine. Laym. *loc. cit.* citans *c. legimus. 24. dist. 93.*

Quæstio 651. An, & qualiter visitare possit Archidiaconus?

1. **R**esp. primò. De jure communi competit ei potestas visitandi, ut constat ex *c. 1. & 6. h. t.* estque visitatio hæc præcipuum ferè punctum officii ac jurisdictionis Archidiaconalis, tam salutaris, ut rectè inquit Laur. Dript. quam necessaria, dum per illam Episcopis rite impensam subsidiariam operam omnis Concilii Tridentini quod ad hæresum & pravorum dogmatum eradicationem, corruptorum morum correctionem, cultus & honoris divini promotionem intentio efficacissimè ad effectum deducitur.

2. Resp. secundò circa hanc visitationem statuitur primò *c. 1. h. t.* ut Archidiaconus de tertio in tertium annum (hoc est, saltè tertio quoque anno) si Episcopus non potest paræciam universam (hoc est totam Diocæsim, ut Pirh. *ad. h. t. n. 8.*) circumeat, & cuncta, quæ emendatione indigent, ad vicem Episcopi sui corrigat & emendet. Verumtamen jure novo Tridentini *sess. 24. c. 33.* statuitur, ut Episcopi propriam Diocæsim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium Generalem aut visitatorem, si quos annis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltè majorem ejus partem, ita tamen, ut toto biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.

3. Statuitur secundò à Trid. *loc. cit.* quod Archidiaconi, Decani, & alii inferiores in suis ecclesiis, ubi hætenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant deinceps assumptò Notario de consensu Episcopi ibidem visitare per semetipsos. Unde apparet in hoc differentia inter Episcopum & Archidiaconum; nempe quod Episcopus languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus visitatorem personaliter explere nequiverit, possit per suum Generalem Vicarium aut visitatorem expedire. Archidiaconi autem per se ipsos tantum visitare possint, etiam in casu legitimi impedimenti, ut clarè ostendit adversativa illa: *Archidiaconi autem*; nec non taxativè per se ipsos tantum Fagn. *in c. procuraciones. de censibus. n. 9.* ubi etiam rationem hujus differentie addit, & *num. 10.* subdit; hinc Archidiacono suum Archidiaconatum per alium visitare volenti ex S. Congregat. sententia prohibere Episcopum, non obstantè, quod ex immemoriali consuetudine ipse & prædecessores sui per alium visitarint. Ex quibus Fagnani verbis inquit Laurent. Dript. *in Spec. Archidiacon. 4. 9.* à contrario sensu elici posse, posse

posse Episcopum Archidiaconi suis concedere, ut per alios visitent; idque ob rationabiles causas, si vel aegritudine decumbant, aut alio modo inhabiles, si absentes sint, vel aliorum locorum Praelati, & semper residere nequeant, & cum Episcoporum licentia absint &c. & confirmat haec praesi moderna, inducitque pro hoc statuta Synodalia Osnabrugensia, in quibus dicitur: ut honori suo Archidiaconi provisum sit simulque officio, volumus non nisi tales Commissarios adhiberi, quam qui bona fama vitaeque inculpata, & moribus integris, & zelosi, ob amplexum etiam jurisdictionem sufficientis doctrinae &c. Interim tamen Episcoporum, ut inquit idem, interest scire, an in tali casu ad id munus idonei substituatur ab Archidiaconi Commissariis. Absolutè tamen consentire nequit Episcopus, ut id officii secularibus committatur, dum in visitationibus tam episcopalibus quam Archidiaconalibus super personarum ecclesiasticarum actus, moribus & conversatione debeat fieri inquisitio, & ea laico in personam ecclesiasticam sub pena excommunicationis interdicitur. *v. 2. de for. comp.* Illud quoque notandum, quod ad *loc. cit.* Tridentini ait Gallemart, si jurisdictione istorum inferiorum versaretur solum in videndis rationibus & computis ecclesiarum, per substitutos possent implere munus suum. De cetero profectò huic decreto minime satisficit, dum Archidiaconi visitationis istiusmodi molestias declinantes eandem committunt aliis tam in Theologia morali quam jure Canonico admodum rudibus, nec non sordido quatuor & ventri, etiam ad scandalum grave ipsorum, quos visitant, deditis.

4. Statuitur item *cit. loc.* à Tridentino, ut Archidiaconi aliique inferiores jus illud visitandi habentes visitationis suae rationem Episcopo intra mensem reddere, & depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur. idque eo fine, ut Episcopus sciat statum suae Dioecesis & animarum sibi commissarum. Neque tamen ideo Episcopus, aut eo impedito Vicarius aut visitator illius prohibeatur easdem ecclesias seorsim visitare, non obstantibus, inquit Concilium, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & privilegiis quibuscumque. *Laym. ad c. 1. h. t. num. 6. Pirh. n. 8.* Imò, ubi negligentiam adverteret Episcopus, deberet iterato visitare; cum illi principalis cura animarum ex officio incumbat. At tamen ad *cit. loc.* Trid. Gallemart, licet Episcopus possit iterum visitare ecclesias visitatas ab inferioribus, non potest tamen iterum punire punitos ab eis, nec ab eis absolutos cogere ad innocentiam suam demonstrandam. Quam verò salutaris foret quandoque iterata illa Episcoporum visitatio satis iudicant verba Adolphi III. Archiepiscopi Coloniensis apud Dripr. a 3, dum inquit: *hactenus alio somno dormierunt Episcopi de Archidiaconorum visitatione securi, qui speciem quandam visitationis retinuerunt, sed deformem, & pravorum officiorum seu visitatorum quastum vitiosum ac reprehensibilem nunquam profectò, quod nunc serò querimus tot haereses, & secta, moresque corrupti eo usque invaluisse, nec jaceret adeò disciplina ecclesiastica neglecta, si recte visitatum ab eis, quibus hoc munus incumbit, fuisset &c.* Quibus ipse Dripr. ex suo addit: sed
P. Leuren. Tract. IV. De Archidiacon.

in his malis non Archidiaconi solum, sed & Episcopi culpandi sunt, quippe quibus praecipua animarum cura ex officio incumbere, nec securum erat, Archidiaconorum, quos ipsi negligentia advertebant, curam omnia credere, sed per seipsum gregi sibi commisso intendere, crebro visitare, & casu quo haec ob negotiorum multitudinem vel non licebat, vel possibile non erat, saltem per viros, in quibus sciebant esse timorem Domini, zelum domus Dei ad vitia haeresesque eradicandas, pravosque coercendos magnanimitatem, & suos in Spiritualibus Vicarios Generales similia perficere. Licet enim Archidiaconus sit Episcopi oculus, est tamen talis oculus, qui & ipse in videndo patitur, & ab intrinsecis, nisi videns, cujus est oculus, bene dirigat, defectus varios incurrere potest &c. Poterit quoque Episcopus praestituere terminum Archidiacono ad visitationem expediendam, & praescribere comitatum ac equitatum, ne oneri sit ecclesiis, quas visitat. *Pirh. loc. cit.* juxta declarationem S. Cong. apud Gallemart. ad *cit. loc. Trid.* uti & apud Piassec. in *pr. episc. p. 2. c. 3. a. 8. num. 12.* quem citat Pirh. Porro visitatores praeter victualia moderata sibi ac suis necessaria nihil omnino exigere aut accipere debent *Laym. cit. n. 6.* de quo vide ipsam rextum fufum Tridentini *cit. c. 3.* ejusdemque declarationes allatas à Gallemart.

5. Statuitur denique circa hanc Archidiaconorum visitationem *c. 6. h. t.* ut non nisi semel in anno ecclesias proprias seu parochias speciatim ad suum Archidiaconatum spectantes visitet, nisi causa specialis emerferit, ob quam saepius visitari debeant.

Quaestio 652. Quid potestatis habeat Archidiaconus circa visitanda monasteria Regularium.

1. **R**esp. primò. Archidiaconi nullam habent potestatem visitandi in monasteria, siue sint mendicantium, siue non mendicantium, praeterquam enim, quòd de hoc satis constat ex responsione negativa data supra ad quaesitum: num jurisdictione (cujus praecipuum ferè exercitium consistit in visitatione & correctione) Archidiaconorum se extendat ad monasteria non exempta aliàs à jurisdictione episcopali. Hic tamen in specie confirmatur ex eo, quòd ne quidem ipsi Ordinarii seu Episcopi hanc potestatem habeant. Licet enim Episcopus astantiam juris communis ac Tridentini habeat super jurisdictione Spirituali in omnibus ecclesiis tam regularibus quam secularibus suae Dioecesis, *v. cum olim. de praescriptionib. Fagn. ibid. n. 6.* modò tamen monasteria ferè omnia per diversa Pontificum privilegia exempta sunt à jurisdictione Episcopali, praecipue quòd ad hoc visitationis punctum. *Fagn. in c. tuarum. de privileg. n. 18.* ubi: regulares sunt exempti secunda speciei, & sic non comprehensivi in decretis & voluntariis. *de privileg. in 6.* Sedes enim apostolica quorumcumque Ordinum Religiosos totaliter exempti ab Ordinariis jurisdictione, etiam ratione delicti commissi, contractus iniuri, ac rei existentis extra locum exemptum &c. nisi forte monasteria sint commendata, & in eis non
Y 3 vigeat

vigeat regularis observantia (secus est, si in iis vigeat regularis observantia. Fagn. in c. grave. de off. jud. ord. n. 17. & Gallemart. ad c. 8. sess. 21. Trid.) quia tunc ipsa monasteria & eorum commendarii visitari possunt ab Episcopo loci vel viciniore, tanquam sedis Apostolicæ delegato (adeoque adhuc eorum exemptio non violatur; quia auctoritas delegata non violat exemptionem Fagn. in cit. c. tuarum. n. 33.) modò Capitibus sui ordinis non subsint. Fagn. in c. de venerabili. de censib. n. 4. juncto c. eod. in cit. grave. n. 17. juxta Trident. loc. cit. c. 20. sess. 25. de regular. Adeoque jus Ordinariorum visitandi monasteria, ac corrigendi Regulares tantum est habituale, & in defectu & in necessitate, dum nimirum ii, quibus ex officio incumbit visitare & vitia corrigere, id negligunt, vel in speciem solum visitant. in quo casu evigilat & quodammodo reviviscit jus Episcoporum visitandi actualiter, quod alias, dum Abbas alique visitatores suo fungentur officio, tantum est in habitu.

2. Resp. nihilominus secundò, Monasteria in congregationem redacta, siue sint virorum siue mulierum, quibus imminet cura animarum personarum secularium præter eas, quæ sunt de familia illorum monasteriorum, ut dum ecclesia Regularis simul est parochialis, indubitatè ab Episcopo, ejus Vicario & Archidiacono intra ejus Archidiaconatum sita, visitari possunt in iis tantum, quæ curam animarum & sacramentorum administrationem concernunt. Fagn. in c. grave. de off. jud. ord. n. 14. juxta expressum textum Trident. sess. 52. c. 11. de Regular. Et quòd, si ecclesia regularis sit divisa, ut pro una parte serviat regularibus, pro alia parte parochianis secularibus, in tali casu sola illa pars, quæ deseruit parochianis, & parochiam vicem habet, non autem illa, quæ regularibus propria est, ab Episcopo, ejus Vicario, vel Archidiacono visitari poterit Dript. loc. cit. a. 7. Idem est de ecclesiis parochialibus perpetuò unitis & annexis monasteriis Regularium; si enim eas visitare potest Episcopus vi Trident. sess. 7. c. 7. de Reform. idem poterit Archidiaconus. Notandum etiam hic est, quòd habet Gallemart. ad cit. c. 7. sess. 7. Nimirum censuisse, Episcopum posse visitare ecclesias parochiales unitas monasterio Canonico Regularium; tamen si Generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat. Item quòd habet Fagn. in cit. c. grave. n. 16. nimirum, quòd licet visitari possint dictæ ecclesiæ unitæ & annexæ monasterio, visitare tamen non possit Episcopus domos ipsarum parochialium, in quibus non vigeat regularis observantia, sed soli parochi Regulares ab ipso approbati habitant, ut alias respondit S. Congregatio.

Questio 653. An, & quomodo Archidiaconus visitare possit ipsos Regulares expositos ad curam in pastoratibus?

R Esp. tamen si superior Regularis Abbas, Prior, Rector, seu quocumque alio nomine vocetur sit ordinarius Judex horum Regularium; adeoque ad solum illum superiorem spectet regularium correctio. Fagn. in c. quanto. de off. ordinar. num. 8. & 14. Quin & in Regularium privilegiis apud Fagn. in c. tuarum de privileg. a num. 18. ex-

preise inhibeat locorum Ordinariis, ne absquæ speciali commissione Sedis Apostolicæ in personas Regularium aliquam excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiam specialiter vel generaliter quomodolibet præmulgare præsumant. Quod privilegium tantum abest, ut sit sublatum per c. volentes. de off. Legar. ut potius in eo fuerit præservatum. Licet etiam ex decreto Tridentini c. 3. sess. 6. Regulares exempti degentes extra claustra, si delinquant, subjiciantur visitationi, correctioni, punitioni Ordinarii non nisi Sedis Apostolicæ delegati. Verum tamen Regulares administrantes parochias, etiam pleno jure subjectas monasteriis, quæ tales subsunt visitationi, correctioni, punitioni Ordinarii, non tanquam exercenti delegatam, sed Ordinariam jurisdictionem, seu visitari possunt non tantum ab Episcopo ejusque Vicario Generali, sed & ab Archidiacono in iis, quæ curam animarum & sacramentorum administrationem concernunt. Proinde si parochus Regularis v. g. copulet alienos parochianos sine dimissoriis, vel suos sine proclamationibus, sit negligens in peragendis divinis, intermitat lectionem Catechetica &c. in Episcopi, ejus Vicarii vel Archidiaconi potestate erit; illum juxta statuta Concilii Trident. & SS. Canonum punire juxta excessus exigentiam. Quin & eundem verbotenus corrigere, si in processu visitationis, aut rumore fundato intellexerit eum scandalosè vivere, esse contentiosum, frequentare tabernas, ebrietati deditum, conversari cum personis suspectis, idque cum comminatione. Quòd nisi emendet, velit eum vel Episcopo, vel ejus superiori denunciare, & amotionem procurare. De ceterò si delictum commiserit non concernens curam animarum, vel Sacramentorum administrationem, nec ab Episcopo aut ejus Vicario, multoque minus ab Archidiacono puniri poterunt; sed in tali casu Archidiaconus delictum referre debet ad Episcopum; qui si sit notorium & probatum, superiori regulari demandare debet ut delinquentem puniat, vel si necessitas aut gravitas postulat à cura eum amoveat, seque de punitione certiotem faciat. Quòd si superior tali mandato non obtemperet, & delinquentem non puniat, & de punitione coram Episcopo non doceat, jam tum in potestate Episcopi erit, ut tanquam Sedis Apostolicæ delegatus defectum superioris suppleat, & delinquentem secundum justitiam puniat. ut Fagnan. in c. tuarum. de privileg. n. 42.

Questio 654. Qualiter in praxi ab Archidiacono (idem est de alio visitatore Synodali, aut ab Episcopo constituto) instituenda visitatio.

R Esp. methodum istam & praxin conformiter magis ad usum harum Germaniarum nostræ partium perspicuè satis & bene tradi à R. P. Laurentio Dript. Ordinis S. Benedicti Professo Gladbacensi Episcopi Paderbornensis Vicarii seu Commissarii in Spiritualibus Generali, dum ante annos circiter 29. ibidem Philosophiam docerem, in libello, quem inscripsit *Speculum Archidiaconale. sect. 2. a. 1.* Unde eam hic iisdem ferè Authoris verbis apponere lubuit. Quòd itaque attinet præmittenda isti visitationi.

Archi-

Archidiaconus vel alius visitator Synodalis visitationem instituire intendens, tribus vel quatuor septimanis ante idipsum Archidiaconatus sui Pastoribus intimari curet, expedito mandato poenali ad ipsos eorumque Sacellanos, Vicarios, Custodes, Ludimagistros, templorum & pauperum Provisores, nec non testes Synodales, ut singuli respectivè sua, ecclesiæ & pauperum &c. gravamina: Custodes suppellectilis & ornamentorum ecclesiæ, Ludimagistri puerorum Scholas frequentantium vel frequentare omittentium; testes quoque Synodales specificationem excessuum ab ultima visitatione commissorum & nomine excessillarum, Provisores quoque templorum & pauperum exactum computum reddituum ecclesiæ & pauperum tam perceptorum quam expositorum, & restantium infra octiduum à die infirmationis per Pedellum synodalem faciendæ expendant, & expedita per dictum Pedellum præsentari curent; idque eò fine, ut gravamina singula ponderari, oportumum singulis remedium preparari, & tanto expeditius ipsa visitatio expediti possit. Hujus mandati formulam vide apud eundem *sect. 3.*

2. Catalogum excessuum ad visitationem synodalem & Archidiaconalem spectantium, & à testibus synodalibus denunciandorum ponit sequentem.

1. A catholicos Libros habere domi.
2. diebus festis non audire concionem.
3. diebus festis laborare.
4. diebus festis sub divinis hære in popinis.
5. diebus prohibitis comedere carnes aut alii proponere comedendas.
6. tempore paschali non communicasse.
7. infirmos Sacramentis muniendos non satis maturè denunciaffe Pastori.
8. in templo sub divinis & in processionibus indecenter & scandalosè se gessisse.
9. Infantes intra octo dies non curasse baptizari, aut ab hæreticis.
10. Sponsam & sponsam antequam in facie ecclesiæ copulati cohabitare in eadem domo.
11. sine proclamationibus, sine venia vel coram Prædicantibus aut alienis Pastoribus contraxisse matrimonium.
12. rixari cum Pastoribus, iisque honorem debitum non deferre.
13. pejerare & blasphemare.
14. Venera tractare cum liberis, conjugatis, ecclesiasticis, & impudica verba & cantilenas usurpare.
15. personas peregrinas inhonestas & suspectas in ædibus retinere.
16. committere furta sacrilega.
17. uti remediis superstitiosis in pecoribus & hominibus.

3. Exhibitis gravaminibus, rationibus, excessibus, aliisque, Archidiaconus examinare debet singula, & quomodo gravaminibus obviari, excessus puniri debeant considerare; præ omnibus autem delatis ad se contra alterum querelis non statim fidem adhibere, sed iudicium suum, donec partem accusatam audierit, suspendere. in quo est maximus lapis offensionis & peccati scandali, dum nimirum contra legem divinam naturalem & humanam pars læsa & accusata non citata & audita, à visitatoribus nimia facilitate credendi, & temerariè suspicandi deceptis jam præiudicatur & condemnatur. de quo vicio lege S. Bernard. *lib. 2. de considerat. ad Eugen. Papam. c. 3.*

4. Quod attinet inchoationem visitationis, gravaminibus, rationibus, excessibus diligenter excussis, Archidiaconus ejuſve Commissarius, vel alius visitator assumpto secum Notario

pergit ad locum, in quo visitationem inchoare intendit, præmissis nuntio Synodali, qui ejus adventum pridie significet, ac excessitas seu delinquentes à testibus Synodalibus denunciatos ad diem sequentem citari curat. Cùm verò loco jam dicto appropinquaverit, in honorem & reverentiam episcopalis officii, cujus in hac parte vices agit visitator, campana omnes pulsantur eoque, donec ad hospitium, in quo durante visitatione commoraturus est, pervenerit. Quòd si fiat tempestivè in dicto loco compareat, mox ex hospitio pergit ad ecclesiam visitandam, & in suppedaneo ante summum altare sibi preparato genuflexus ad tempus aliquod orans adorat prius Venerabile, dum salutat loci Patronos, iisque successum visitationis, ut ad promotionem honoris Dei, & proximorum ædificationem perficiatur, commendat.

5. Quæ autem visitanda occurrunt in triplici sunt differentia. Loca, res, personæ. Loca visitanda sunt 1. ecclesiæ parochiales & filiales. 2. Oratoria. 3. Hospitalia. 4. Cæmeterium. 5. Ofſuarium. 6. Confraternitates. 7. Scholæ. Res visitandæ. SS. Eucharistia Sacramentum. SS. Olea cum Chriſmate. Fons baptismalis. Reliquiæ. Capellæ. Altaria. Sacraria. Fons aquæ benedictæ. Sepulchra, Sacristia, Cruces, Calices. Patenæ. Corporalia. Purificatoria. Vestimenta sana. Mappæ & tobaleæ. Mantilia. Thuribula. Lampades. Candelabra, Millalia. Antiphonaria. Gradualia. Chorus, organum. Officia. Jus patronatus. Foundationes piæ. Eleemosynæ. Campana. Janua. Personæ visitandæ. Parochus. Sacellanus. Vicarii. Templarii. Provisores pauperum. Theſaurarius seu Custos. Ludimagister & Ludimagistra. Testes Synodales. Obsterriæ. Parochiani.

6. Mane factò, cùm Visitatori visum fuerit, per custodem tribus vicibus datur signum ad divina & visitationem. Cùm verò tertium signum inchoatum fuerit, pergit ex hospitio suo ad Ecclesiam, in cujus introitu Pastor eundem expectat, & pulsantibus organis ad summum altare deducit, ubi genuflexus aliquandiu orat, dein ad Sacristiam pergens, si Sacerdos fuerit, ad celebrandum, vel de Spiritu S. (si festum non fuerit) vel si fuerit, cum collecta de eodem, se disponit. Quòd si Sacerdos non fuerit, superpellico se induit, & ante sacrum per Pastorem vel ejus Sacellanum celebrandum curat sibi exponi Venerabile tam in Monstrantia, quàm Ciborio, factaque thurificatione & datâ benedictione, vel à se, si Sacerdos sit, vel à celebraturo cum versu *Genitori, &c.* surgit & visitat ipsam Eucharistiam & inquit. Primò è quali materia sint Monstrantia & Ciborium. Secundò an sit munda. Tertiò Tabernaculum quale sit, ligneum vel lapideum, an humidum: quo loco situm, an decenter ornatum. Quartò quando Hostiæ ultimò consecratæ, & quoties renoventur. Quintò quis Sacrarii clavem custodiat. Dein thurificato iterum & absque ulteriore benedictione recluso Sacramento, curat sibi sacra olea adferri, quæ si inveniat Sacrario inclusa ad alium locum à se designandum transferri curabit: nihil enim aliud sacratio includi convenit, quàm cui adorationis cultus debetur: inspicere etiã debet vasa, an munda, an ultimo

Paschate vetere combusto olea sint renovata. Illis que iterum reclusis, pergit ad Baptisterium, illudque inspicit, an sit mundum, clausum, Vigiliis Paschæ & Pentecostes renovatum, & penes quem sit custodia clavis. Deiu visitare debet SS. Reliquias, si quæ sint; Altaria & capellas, & inquirere an consecrata & inviolata, Si celebretur in portatili, an sit integrum & satis magnum, ut calicem cum hostia capere possit. Imagines, sacrificia, ecclesiæ pavementum, fenestras, suggestum, confessionale, camiterium, ossuarium, & si circa hæc quicquam reparandum, ordinandum vel renovandum inveniatur, id ipsum præ omnibus post absolutum sacrum, quantum cum minore communitatis & ecclesiæ gravamine fieri potest, ordinet.

7. His ita peractis & per Notarium diligenter annotatis, ipse Visitator vel alius ab ipso designatus sacrum Missæ officium pulsantibus continuò organis celebrat. Quo peracto pergit ad mensam in medio chori, vel ante ipsum positam, & cum Pastore, Sacellano & Notario (crucifixo & cereo ardeute superpositis) illi assidens, ante Sacrum inchoatam visitationem continuat, excessibus synodalibus tantisper, donec ad hospitium redierit, rejectis; causis enim fornicationum, adulteriorum, blasphemiarum &c. in ecclesia vel sacristia, choro, & ecclesiæ vicina examinare contrariatur reverentiæ tam sanctis locis debita; eò quòd horum iudicio ordinariè contentiones, dum unus negat, alter affirmat, &c. interveniant, quas indecentes coram Venerabili quis non videt?

8. Antequam Visitator ad interrogatoria procedat, prius curabit sibi exhiberi prothocollum ultimò habitæ visitationis, & an ea, quæ in ea ordinaverit, sint data executioni, inquiret. Si non, & sub pena demandata sint, multæ indictæ executionem præcipiat, & sub nova graviore ejusdem ordinari executionem manderet; ea tamen quæ ordinat cum discretione & sine magno subditorum gravamine, ordinet, ne inobedientes de gravitate mandati queri possint, sed soli contumaciæ suæ damnum ex inobedientia relatam impurare habeant.

9. Demum accersitis testibus synodalibus, tam antiquis, quàm novis, ecclesiæ item provisioribus, Custode, Ludimagistro & Ludimagistra ad interrogatoria procedat & inquiret. *Primo* circa ecclesiam, an sit parochialis, an filiales & quas habeat. 2. Quis illius Patronus. 3. An, & quo die dedicatio illius servetur. 4. An sit lampas in ea, & ex qua materia. 5. An perpetuò sit lumen coram Venerabili. 6. Cujus mediis de oleo provideatur. 7. An sint disensiones ratione sedilium & inter quos. 8. An sit organum, & à quo pulsatur. 9. Quis det organistæ mercedem, & is officio suo satisfaciat. 10. An hæretici in ecclesia vel camiterio sepeliantur. 11. An libros pro divinis peragendis necessarios habeat, scilicet Missale, Graduale, Antiphonale. 12. An pastor habeat Agendam, & qualem. 13. An liber sit baptizatorum, confirmatorum, matrimonio junctorum, defunctorum, & is exhibeatur. 14. An qui ecclesiæ sunt debitores, hypothecam sufficientem dederint. 15. An mane, meridie & vespere detur signum ad salutationem angelicam. 16. An camiterium undique sit clausum, & ab incurso pecorum liberum. 17. Quo loco infantes sine Baptismo morientes sepeliantur. 18. Circa oblata pia

quis disponat, & quibus usibus applicentur. *Secundò* circa personam Pastoris, eodem tantisper recedente. 1. Cujus nominis, conversationis & vitæ. 2. An in domo sua personas suspectas habeat. 3. An tabernas frequenter. 4. An contentiosus & ad rixas proclivis. 5. An diligenter faciat suum officium concionando, catechizando, infirmos visitando, summum Sacrum diebus dominicis & festivis cantando. 6. An quandoque nocte ablit à parochia nemine substituto, cum periculo, quòd puer aliquis vel infirmus sine Sacramentis Baptismi, Eucharistiæ, Extremæ unctionis moriatur. Deiu ab eodem revocato quaratur 1. An subinde per septimanam visitet scholam. 2. An sibi à parochianis debitus honor exhibeatur. 3. An sui Sacellani vel Vicarii, si quos habeat, satisfaciant suo officio. 4. An, & quoties per septimanam celebret. 5. An, & quot per annum habeat processiones. 6. An, & quales Confraternitates. 7. An baptizet infantes ab obstericibus baptizatos. 8. Quot, & quales patrilinos adhibeat, an acatholicos. 9. An infantum baptisimus ultra octiduum differatur. 10. An, & qualem in loco habeat obstericem, an bona famæ. 11. An juramentum fidelitatis & professionem fidei emiseric. 12. Quando ultimò Sacramentum Confirmationis collatum. 13. An infirmi sibi tempestivè significentur. 14. An in Dominica Passionis & ante populo obligationem communionis paschalis è suggestu denunciet. 15. An Sacramentum extremæ unctionis sit in usu. 16. An aliquando & à quo sint contracta sponsalia non præ sente Pastore. 17. An copulet matrimonio sine praviis denunciationibus. 18. An sciat gradus consanguinitatis & affinitatis. 19. An copulandi matrimonio prius confiteantur & communicent. 20. An copulandi sciant rudimenta fidei, & antequam illa sciant, admittantur. 21. An Pastor aliquando dispenset in laboribus servilibus. *Tertiò* circa Parochianos: 1. An Pastor sciat numerum familiarum in parochia sua existentium. 2. An omnes parochiani sint Catholici; si non, quot sint acatholici, cujus nominis. 3. An omnes communicaverint in Paschate, & qui non. 4. An aliqui negligent Sacrum diebus festivis, & qui. 5. An mittant proles, famulos & famulas ad Catechismum. 6. An sint Judæi in parochia, & quot, & num diebus festivis abstinèat ab emptione & venditione, vel currendo de pago ad pagum emant pecora cum scandalo Christianorum. 7. An sint in parochia blasphemii, adulteri, fornicarii, concubinari &c. 8. An agures & divinarores. 9. An puerperæ elapsis puerperii septimanis se à sacerdote benedici, & in ecclesiam introduci faciant. *Quartò* circa Provisores templi & pauperum: 1. Cujus nominis, an bonæ famæ. 2. An juramentum fidelitatis, & fidei professionem emiseric. 3. An inficio pastore emant, vendant, vel alienent bona ecclesiæ vel pauperum. 4. An elemosynas sine præscitu & consensu Pastoris, & illis, qui non sunt verè pauperes, ex privato affectu distribuunt. 5. An quot annis ante visitationem synodalem coram Pastore computum faciant. 6. An sint obedientes & morigeri. *Quintò* circa Ludimagistrum & Ludimagistræ: 1. Cujus nominis, an bonæ famæ. 2. An juramentum fidelitatis & professionem fidei coram Archidiacono vel Pastore emiseric. 3. An sufficienter doctus. 4. An pueros non minus in pietate

Pietate & moribus, quam in literis instruat.
 7. An doceat illos ministrare Sacro, & comiterur diebus festivis ad Sacrum & lectionem catecheti-
 cam. 6. An additus potui, *Sexto* circa Custo-
 dem: 1. Cujus nominis & famæ. 2. An ediderit
 professionem fidei, & juramentum fidelitatis.
 3. An sub divinis utatur superpelliceo. 4. An be-
 ne fungatur suo officio. 5. An pastor in omnibus
 obsequens. 6. Quoties ecclesiam mundet. 7. An
 ornamenta & ecclesia utensilia sint illi cum in-
 ventario extradita, eaque bene custodiat. 8. An
 ecclesiam & sacramenta extra divina bene claudat,
 nec ulli sine consensu Pastoris ei aperiat aut claves
 tradat. 9. An habeat directionem horologii, &
 illud bene dirigat. 10. An domus Pastoris, Cu-
 stodis & Ludimagistri facta tecta.

10. His interrogatoriis Archidiaconus seu a-
 lius Visitator ex depositione videbit, quæ pro lo-
 ci, temporis aliarumque circumstantiarum exi-
 gentia ordinanda sint; proinde illa ordinet & Pa-
 stori ordinatorum copiam proximo die Domini-
 co vel festo toti communitati publicandam relin-
 quat, ac dein novos testes synodales prævia de-
 nunciatione de eorum officio & obligatione, qua-
 lesque excessus deferre teneantur ad juramentum
 admittat; antiquis nihilominus in obligatione
 ac juramento præstito usque ad finem rotius visi-
 tationis & iudicii synodalis permanentibus. Sur-
 git dein à mensa Visitator, pulsaturque mox or-
 ganum, eo usque donec ecclesiam egressus fuerit;
 exutus dein superpelliceo & stolâ ante summum
 altare paulisper genuflexus iterato Venerabile &
 loci Patronos adorat & salutat, pro successu visi-
 tationis gratias agit, & excessus secundum iusti-
 tiam & divinum beneficium de iudicandis ul-
 teriorem gratiam petit, & ad hospitium se re-
 cipit.

11. Sumpto prandio, cui nullus nisi Visitator
 cum suis comitibus, Pastore, & si quem Visitator
 mandaverit invitari, intererit, procedit ad iudi-
 cium synodale & excessuum, in singulis dijudi-
 cendis Deum & iustitiam præ oculis habens, &
 seclusa omni privata affectione vel passione singu-
 los excessus ex circumstantiis objecti, personæ
 delinquentis, scandali & aliarum circumstantia-
 rum concurrentium considerans, ut qualitas pœ-
 næ qualitati culpæ commensuretur, in omnibus
 tamen præferens misericordiam rigori nimio, &
 ante omnia cavens, ne in punitione magis lu-
 crum & proprium emolumentum, quam vi-
 tiorum emendationem & Dei honorem querere
 videatur.

12. Absolutis synodali iudicio & omnibus ad
 visitationem spectantibus Visitator, si tempus pa-
 tiatur, se suaque disponat, sin minus, illum in se-
 quentem diem differat; eo verò discedente, sic-
 ut in adventu, sic iterum omnes campanæ pulsan-
 tur, donec ad spatium aliquod à loco, quem visi-
 tavit, discesserit.

*Questio 635. Quibus maximè opus Archi-
 diacono, similibusque Visitatoribus ad rite
 & iuste procedendum in istiusmodi iudicio
 synodali, puniendisque excessibus?*

1. **R**esp. hac ferè revocari ad duo capita, ni-
 mirum est insignis prudentia & sapientia,
 quam tam sollicitè & ardentè rogabat DEUM
 Salomon 3. Reg. 3. ut populum sibi commissum

judicare posset, & distinguere inter bonum &
 malum. Vi cuius Visitator non sit temera-
 rius, & nimis facilis in credendo denunci-
 anti, sciens, quòd qui facile credit, facile deci-
 pitur, nec nimium in credendo difficilis, ita ut
 cuilibet discredat, usque dum veritatem oculis
 & manibus palpet; sed præsumptionem, famam,
 rumorem, notorium, sive num crimen sit noto-
 rium vel publicum, an occultum, prudenter
 discutiat. Alterum non vulgaris scientia, non
 tantum in Theologia morali, vi cuius norit præ-
 ceptorum Dei & Ecclesiæ transgressiones, item
 distinguere inter earum gravitatem & levitatem,
 & his similia; sed & in iure Canonico, ad mini-
 mum aliqualem & tantam, ut quid hæc ipsa præ-
 sumptio, fama, rumor, notorium, publicum,
 occultum importent, quam efficaciam ad pro-
 bandum & condemnandum habeant, intelligant.
 Jam verò, quòd si fortassis & in hac tantilla sci-
 entia canonica in uno alterove Commissario Ar-
 chidiaconali defectus aliquis esset, uti quandoque
 contingere, fateri cogit experientia, dum quidam
 è scholis philosophicis vix elapsi, Theologiam
 scholasticam dedignati, Theologia morali per
 pauculos menses satis discontinuè frequentata,
 iure Canonico nequidem salutato unà cum bene-
 ficio Vicaria in Cathedrali obtenta, solertià
 aliquà æconomicâ, nec non loquendi promptitu-
 dine favorem Canonici Cathedralis Archidia-
 cono adepti, ab eo uti in redituum & rerum æco-
 nomicarum inspectores jam delecti, in Archidia-
 conatus quoque Curatores seu Commissarios Ar-
 chidiaconales assumuntur. Ut huic inquam de-
 fectui aliqua ratione occurratur, dum talibus jam
 nimia negotiorum multitudo occupatis, Jura
 ipsa Canonica aut Canonistas ad fûsum legere
 non vacat, obiter & breviter dictorum termino-
 rum explicationem aliquam subungere placuit.

2. Circa præsumptionem itaque notandum pri-
 mo, illam esse actum intellectûs, nempe iudicium
 de re dubia (versatur enim præsumptio semper
 circa rem dubiam, scilicet quæ se sic vel non sic
 habere potest. Menoch. l. 1. de præsumpt. q. 8. n. 8.
 apud Pirh. ad h. r. n. 1.) formatum ex iudiciis seu
 concurrentia tali circumstantiarum, in quibus
 plerumque vel frequenter res se sic habet: ita ferè
 ex Mascard. de probat. vol. 1. q. 10. num. 8. Farinac.
 in pr. crim. l. 1. q. 36. n. 72. Pirh. loc. cit. Unde vides,
 præsumptionem à conjectura vix differre, nisi
 fortè, quòd præsumptio importet assensum seu ju-
 dicium magis determinatum; conjectura potiùs
 suspensionem seu opinionem levem cum magna ti-
 tulatione, utpote ex levibus iudiciis procedens.
 Pirh. loc. cit. num. 3. ex Menoch. loc. cit. q. 7. n. 42.
 Vides quoque, præsumptionem differre ab ipsis
 iudiciis tanquam effectum iudiciorum per mo-
 dum motivi moventium ad talem assensum. Por-
 rò iudicium est notabile signum delicti vel alte-
 rius rei, de qua dubitatur, ad veritatem cogno-
 scendam intervians. Sûntque iudiciorum alia
 semiplena seu dubitativa, alia plena seu indubi-
 tata, prout ob rariorem vel frequentiore, & or-
 dinariam sui cum veritate, quæ indagatur, con-
 nexionem apta sunt patere opinionem seu suspi-
 cionem aliquam cum formidine seu virtuali du-
 bio, vel assensum magis firmum siue tali formidi-
 ne. Idem ferè est, dum Farinac. loc. cit. num. 44.
 iudicium dividit in proximum & remotum, pro-
 ut nimirum magis verisimile seu aptum vel minùs
 idone-

idoneum ad rem demonstrandam. Item dum Laym. *Theol. moral.* l. 3. tr. 6. c. 2. n. 5. dividit iudicia in levia, quæ tantum suspitionem, & gravia, quæ opinionem non levem, non tamen omnino certam, sed conjunctam cum aliquali formidine de opposito gignunt; & gravissima, quæ pariunt assensum moraliter certum, excludentem omnem formidinem. Unde jam etiam juxta Abb. in c. quanto. num. 3. h. t. Menoch. l. 1. de præsumpt. q. 5. num. 12. & 13. Farin. cit. q. 36. num. 110. & seq. apud Pirh. loc. cit. num. 5. præsumptio dividitur in vehementem seu violentam, quæ nititur indicio vel iudiciis vehementer moveantibus ad assensum seu credendum, rem sic se habere; in probabilem, quæ quidem rationabili, non tamen ita urgente ad credendum ratione nititur; & in levem, quæ in minus probabili & levi ratione fundatur, ac propterea non tam est vera præsumptio, quam suspicio nuda, & plerumque temeraria, quæ à jure rejicitur, & nihil probat. Pirh. loc. cit. citans c. Inquisitioni. de sent. excom. Durand. in specul. part. 2. cit. de præsumpt. §. 2. num. 1. Exempla singularum harum præsumptionum vide apud Pirh. loc. cit.

3. Notandum secundò, præsumptionem aliam esse hominis, quæ ex variis verisimilibus argumentis seu iudiciis à viro prudente, scilicet Judice, formatur, etsi in lege seu jure expressa non sit, eidem tamen uti & rationi non repugnat, sed conformatur. Pirh. n. 6. Sic v. g. præsumitur commisisse homicidium, qui stricto gladio visus est egredi ex domo occisi. Et quamvis hæc præsumptio eundem effectum habeat probandi, quam præsumptio Juris. Menoch. cit. q. 5. num. 17. & seq. Farin. loc. cit. num. 98. & seq. tollitur tamen per contrariam probationem; elucescente enim veritate, cessat & evanescit præsumptio. Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 31. num. 2. Aliam verò esse præsumptionem Juris, quæ in jure expressa, seu à lege approbatur. Dum nimirum lex ipsa seu jus ex alio indicio rem dubiam colligit & censet esse veram. Dicitur hæc præsumptio patens probatio. Barbof. in collectan. in c. ad nostram. de empr. & vendit. num. 6. citans Gonz. ad Reg. 8. Cancell. gl. 43. Covar. l. 2. variar. c. 6. num. 1. item l. licet. de Legatis. Item vera & liquidissima probatio. Garc. de benef. p. 5. c. 1. num. 530. Paris. de resign. l. 1. q. 14. n. 15. citans Card. Paris. vol. 1. cons. 32. num. 45. Unde jam etiam vides, præsumptionem juris plurimum differre à fictione juris; cum præsumptio hæc, ut constat ex jam dictis, nihil sit aliud, quam dum Jus ipsum censet ex certis iudiciis veritatem rei aliàs dubiæ rectè colligi, & hanc ipsam conjecturam seu præsumptionem pro probatione legitima admittit, etsi non ita directè probet sicut instrumenta & testes, sed tantum indirectè seu potius in consequentiam. Engels ad tit. de præsumpt. num. 1. fictio verò juris non est rei dubiæ, sed certa falsitatis pro veritate assumptio ex certa causa ad inducendum aliquem juris effectum; contra quam proinde fictionem nulla prorsus oppositio seu probatio in contrarium admittitur. Engels loc. cit. num. 14. Exempla hujus fictionis juris sunt, dum hæres fingitur eadem persona cum defuncto, ut propterea in omnia ipsius jura tam activa quam passiva succedat. l. hereditas. ff. de R. I. l. vitia. c. de acquir. possess. Item dum contractus fit sub conditione, eveniente conditione, retrahitur conditio, & fictio juris censetur ab initio purè contractum, l. prior.

ff. qui potiores in pignore. Item præsumptio, etiam juris & de jure, non aliter locum habet in conscientia, quam si veritas subit: fictio autem, quamvis sit rei falsa; tamen in conscientia obtinet. Engels loc. cit. num. 15. ubi etiam dat differentiam hujus rationem, nimirum, quòd in causis, in quibus non potest apparere de veritate, lex quidem subinde aliquid præsumat & pro vero habeat; interim tamen non intendat aliquid statuere vel obligare contra naturalem & genuinam veritatem; in fictione autem lex præcognoscat falsitatem, & nihilominus certè justa de causa aliquid statuit & discernit. Præsumptio hæc juris subdividitur in præsumptionem juris tantum, & in præsumptionem juris & de jure. Prior est, quando lex in dubio aliquid præsumit, sed ulterius non procedit, statuendo aliquid, quod pro jure habeatur. Talis præsumptionis exempla adducuntur ab Engels num. 13. v. g. omnes decime ad Parochum spectare præsumuntur, quamdiu is, qui contra Parochum jus decimandi præterdit, aliud ostendere nequit. l. 2. de restit. spol. in 6. Bona Clericorum præsumuntur acquisita ratione ecclesiæ, nisi constet, habuisse illos bona patrimonialia, dum promovebantur ad Clericatum. c. 1. de pecul. Clericor. & c. Præsumptio juris & de jure est, dum lex non tantum præsumit aliquid, seu censet habendum pro vero; sed insuper super præsumpto statuit aliquid. Pirh. loc. cit. num. 8. ex Menoch. loc. cit. q. 3. num. 17. ut dum lex non tantum ex certis iudiciis colligit aliquid, sed & jubet idipsum firmiter habendum pro veritate, ita ut probatio in contrarium non admittatur, nisi de aperta veritate constet. Laym. *Theol. moral.* tr. 6. c. 2. num. 5. Pirh. num. 8. citans Abb. in cit. c. quanto. num. 2. & Felin. num. 3. Menoch. loc. cit. q. 60. num. 2. Dicitur hæc præsumptio necessaria & violenta; quæ ex certis & indubitatè signis desumitur. Pirh. loc. cit. citans Durand. ubi ante. num. 5. Talis præsumptionis exemplum est, dum cognoscens sibi desponsatam sub conditione, v. g. si nobilis es, præsumitur remisisse conditionem, & absolute consensisse in matrimonium, c. per tuas. de condit. appost. Item cohabitans per sesqui annum viro, cui coacta nupsit, præsumitur liberè in eum consensisse, & adhærere ei tenetur, nec admittitur postea ad probandam violentiam, perinde ac si liberè ab initio ei consensisset, c. ad id. de sponsal. Alia exempla hujus præsumptionis vide apud Engels. loc. cit. num. 11. & 12.

4. Notandum tertio, præsumptionem hominis, etsi regulariter plenam fidem non faciat, nisi aliis adminiculis adjuvetur; v. g. famâ, depositione unius testis & c. possunt tamen quandoque esse aded violentæ & vehementes hæc præsumptiones, ut (intellige sine aliis adminiculis) probationem plenam efficiant, ex qua Judex possit proferre sententiam definitivam. Engels. loc. cit. num. 2. Sed neque onus probandi in adversarium rejicit, nisi sit violenta. Menoch. loc. cit. q. 33. n. 9. Pirh. sub num. 6. Admittit etiam probationem in contrarium, atque ab ea eliditur. Si enim una præsumptio tollit aliam, multò magis probatio in contrarium elidit præsumptionem. Menoch. loc. cit. n. 2. Præsumptio verò juris regulariter relevat ab onere probandi illum, pro quo stat, & adversarium onere probandi inquietat. Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 33. n. 2. Garc. de benef. l. 5. t. 1. num. 530. Paris. de resign. l. 11. q. 14. num. 15. citans Cravet. conf.

conf. 229. col. ult. Card. Paris. voi. 3. conf. 42. &c. juxta *l. 1. de probat.* Præsumptio juris, & de jure, etsi, ut dictum, inducat firmum jus, habeaturque pro ipsa veritate exclusiva probationis in contrarium, lege sic statuente. *Mascard. loc. cit. q. 10. n. 48. Farinac. cit. q. 36. num. 100. &c.* fallit tamen id ipsum in pluribus casibus. *Pirh. num. 9.* Sic primò admittitur contra illum probatio per confessionem, saltem judicialem, ejus, pro quo stat præsumptio, modò sit de facto, quod sit in illius potestate. *Pirh. loc. cit. cum Mascard. l. 1. de præsumpt. q. 61. n. 5.* Exempla hujus rei vide apud eundem. Quin & per extrajudicialem (ut tenet *Menoch. loc. cit. num. 16.* cum *Baldo contra Alciat. apud eundem Pirh. num. 12.*) modò ea postea in judicium deducatur, & per testes probetur; v. g. si is, pro quo sententia lata est, quæ jam transiit in rem judicatam, extra judicium confiteatur, eam falsam esse, hæc confessio, si testibus probetur in judicio, admittitur contra præsumptionem ortam ex re judicata. *Menoch. loc. cit. n. 4.* Secus tamen est in causa matrimoniali, seu non statur confessioni conjugum, si agatur de matrimonio jam contracto penitus dissolvendo ob impedimentum dirimens; cum hoc non sit in potestate eorum positum; juxta *c. super eo. De eo, qui cognovir consang. Pirh. cit. n. 9.* Hujus tamen iterum contrarium est, dum quæritur, an matrimonium contractum, & lex præsumit contractum ob consentum præsumptum ex subsequuta copula; Tunc enim, si vir & mulier fateantur, se habuisse copulam aliò animò, quam contrahendi matrimonium, jam eliditur ille præsumptus consensus seu præsumptio juris, staturque illorum confessione (nisi adhuc aliqua fraudis suspicio) ac ita hoc casu matrimonium non dissolvitur, sed non fuisse contractum declarat. *Pirh. ex Menoch. l. 3. de præsumpt. præsumpt. 1. num. 11. & 12.* Ratio horum est, quòd etsi præsumptio juris & de jure habeatur pro ipsa veritate, non est tamen verè & propriè ipsa veritas; & in claris ac indubitatis non habet locum præsumptio. Confessio autem illius, pro quo stat præsumptio, detegit veritatem, cum nemo præsumatur contra se temerè confiteri, nulla que sit melior & efficacior probatio, quam proprii oris confessio. *Menoch. l. 1. de præsumpt. n. 6. apud Pirh. Secundò,* etsi contra dictam præsumptionem non admittatur probatio directa, admittitur tamen indirecta. Cum enim lex ad talem præsumptionem requirat certas qualitates seu circumstantias, semper admittuntur probationes, quòd non sit talis casus, vel non adsit talis circumstantia. *Pirh. num. 10. citans Felin. in c. quanto. h. 7. Menoch. cit. l. 5. q. 65. n. 1. v. g. contra præsumptionem illam juris & de jure, quæ mulier, quæ per metum incultum contraxit matrimonium, præsumitur ex diuturna cohabitatione cum viro in id liberè consensisse, merumque purgatum esse, admittitur indirecta probatio, quæ proberur, illam etiam violentè & coactè tamdiu viro cohabitasse. Tertio* admittitur probatio in contrarium per notorium; probatio enim, quæ fit per evidentiam facti, nunquam exclusâ censetur; cum, quando certò & evidenter constat de veritate, cesset dubium, circa quod versatur præsumptio, *Pirh. n. 11.* & notorium non eget probatione, & in claris non est opus conjecturis. *Paris. de confid. q. 44. n. 7. & 8. juxta l. continuus. ff. de*

*verbor. oblig. & sic notorium relevat ab onere probandi. Paris. de resign. benef. l. 11. q. 6. num. 82. citans l. 1. c. de Dot. privileg. c. vestra. de cohabit. Cler. modò tamen hoc notorium sit permanens (notorium enim facti transeuntis eget probari per testes, juxta *c. vestra. de cohabit. Cler. & mulier.*) & allegetur; etsi enim notorium non eget probatione, eget tamen allegatione. *Menoch. loc. cit. q. 67.* De notorio plura paulò post. *Quartò* admittitur contra illam probatio parte non opponente; cessat enim tunc præsumptio, dum adversarius, qui non opposuit, videtur tacitè consentire, & sic juri suo renunciare, nimirum in casibus, in quibus pars potest renunciare favori suo; secus enim est in iis, quæ non pendent à voluntate partium, & in causis criminalibus. *Menoch. loc. cit. q. 68. num. 3. apud Pirh. cit. num. 11.* *Quintò* admittitur probatio facta per quinque, quin & per duos vel tres testes, si sint valde integri & probi, ut *Menoch. l. 1. quest. 63. & 64.**

5. Notandum quartò, præsumptionem juris & de jure habere alios insuper effectus. *Primò*, quòd impediatur appellacionem, *Pirh. loc. cit. num. 12.* citans *Menoch. lib. 1. quest. 26. Zoef. Comment. in Decret. h. 1. num. 9.* quia is, contra quem stat præsumptio, habetur pro convicto & confessio; convictus autem & confessus appellare nequit *l. 2. c. quorum appell. non recipi.* Cumque hæc præsumptio habeatur pro veritate, & non admittat probationem, appellatio contra illam interpolata censi nequit justa. *Secundò* ad illam refellendam non admittitur juramentum ejus, contra quem stat; eòdem illud non deferatur à Judice, nisi ubi causa dubia; causa verò, pro qua stat præsumptio hæc, non sit amplius dubia, sed pro certa habeatur. *Zoef. loc. cit. num. 8. Menoch. q. 77. num. 1. Quin & idem dicendum de præsumptione juris tantum juxta Barthol. & alios, aliis id negantibus, aliis consentibus; id relinquendum Judicis arbitrio, cujus sit considerare qualitatem præsumptionis & personæ juraturæ; & sic in foro conscientie credi juramento opponentis contra præsumptionem juris; cum in hoc foro stetur veritate, cujus quisque sibi est conscius, quidquid præsumatur in foro externo. *Pirh. cit. num. 12.* ex *Menoch. Tertio* ex præsumptione juris & de jure potest ferri sententia definitiva; cum hæc præsumptio, ut dictum, censeatur vera & plena probatio, & habeatur pro veritate, *Menoch. cit. l. 1. q. 40. num. 1. & 2.* apud *Pirh.* qui & idem dicat de præsumptione juris tantum; cum & hæc sit liquida & manifesta probatio, modò per contrariam probationem non fuerit elisa. An autem idem dicendum de præsumptione hominis, dum lege non nititur, pendere ex arbitrio Judicis arbitrantis, quantum ei fidei haberi possit; pro quo etiam citat *Zoef. ubi ante, num. 12.* Et sic in genere poterit Judex ex præsumptione vehementi seu violenta, sive ea à parte adversa allegata & manifestata sit sive non, sed aliunde in judicio manifestata, absque alia probatione procedere ad sententiam definitivam, etiam condemnatoriam Argumento *c. affinitate. h. 1. ubi allegatur judicium Salomonis 3. Reg. 3.* ex sola præsumptione, ut *gl. hic. v. date hinc.* ferentis sententiam definitivam, adjudicando illi mulierum*

lièrum tanquam vera matri infantem, cujus videbat commoveri viscera ad intentam infantis divisionem. Simile exemplum ex violenta præsumptione lata sententiæ definitivæ de faciendò divortio, habetur *c. ex literis. h. r.* Et licet hoc ipsum, nimirum quòd Judex ex tali præsumptione violenta possit procedere ad sententiam definitivam, habeat potissimum locum, ubi agitur civiliter, ut contigit in casu *cit. c. affinitate. h. r.* ubi agebatur civiliter ad restitutionem filii, ut Abb. *ibidem num. 6.* uti & *c. ex literis.* ubi agitur de instituendo divortio; potest tamen etiam quandoque in causis criminalibus ex vehementissimis & moraliter certis indiciis, quæ trahunt Judicem quasi violenter ad credendum, procedi ad sententiam condemnatoriam, ut patet ex *c. 2. & 13. h. r.* & Abb. *in cit. c. quanto.* etiam aliàs de crimine gravi quis condemnari nequeat ex solis vehementibus probationibus, ut constat ex *c. literas. h. r.* ubi Papa noluit suspectum de hæresi condemnari ob solam vehementem suspicionem. Abbas *ibidem num. 5.* Barbof. *num. 4.* (qui tamen id ipsum limitat: nisi sint præsumptiones juris & de jure; quia ex tali præsumptione crimen patet) & Canonistæ communiter; eo quòd in causis criminalibus requirantur probationes indubitatae, & luce meridiana clariore *l. fin. c. de probat.* Ubi & illud observandum, quòd quanto crimen est gravius, tantò ad condemnandum præsumptiones debeant esse vehementiores; cum cautius agendam, ubi periculum majus vertitur, *c. 3. de Elef. in 6.* Pirh. *num. 49.* Et sic procedi potest ad pœnam extraordinariam inferendam, argumento *l. ult. c. de probat.* Quin etiam interdum ad ordinariam in criminibus occultis, quæ sunt difficilis probationis, ita ut perfectè probari nequeant. Pirh. *loc. cit. num. 14.* citans Abb. *ubi ante. num. 6.* Laym. *Theol. moral. l. 3. tr. 6. c. 2. num. 6.* Zoël. *ad h. r. num. 12.* Imò ad corporalem & capitalem. Paris. *de confid. q. 71. num. 42.* ubi: *quoties præsumptio posita est à lege, tunc ex ea sequi potest condemnatio etiam Capitalis;* additque esse communem opinionem, de qua attestetur *Clar. l. 5. recept. sent. §. ult. q. 20. vers. etiam scias.* Boss. *in tit. de convict. num. 29.* Pro quo eodem Pirh. citat Menoch. *l. 5. de præsumpt. præsumpt. 41. num. 3.* ubi id doceat de adulterio. Quamvis idem Pirhing *num. 16.* subjungat, Menochium *loc. cit. num. 15.* putare, cum adulterium simileve crimen præsumptivè solùm probatum est, non posse imponi pœnam ordinariam & capitalem *Legis Juliae de adulteris;* cum non constet verè ac propriè commissum adulterium, sed solùm pœnam extraordinariam. Sic itaque indicia violentam præsumptionem commissi adulterii fundantia sunt, dum testes deponunt (qui est casus *c. ex literis*) vidisse se solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto, in locis abditiis, & in iis procedi potest ad sententiam condemnatoriam divortii & amissionem dotis; quin & ad pœnam ordinariam adulterii. Pirh. *cit. num. 16.* cum Abb. *cit. num. 3.* cum licet adulterium hac ratione non sit probatum verè ac propriè per sensum proprium, sit tamen plenè probatum præsumptivè. Et nisi ex tali præsumptione in talibus indiciis fundata procedi posset ad pœnam ordinariam adulterii, vix unquam similibus criminibus oc-

cultis, quæ vix unquam directè per testes de visu vel alio sensu proprio probari possunt, imponi posset pœna ordinaria. Et sic in genere sufficienter probari posse (intellige in ordine ad pœnam ordinariam infligendam) quæ sunt secreta, cum communi tenet Paris. *de confident. q. 71. num. 5.* Lotter. *de rebenef. l. 3. q. 29. n. 54.* Item quæ fiunt fraude ac dolo; eò quòd hæc & similia sint difficilis probationis. Paris. *loc. cit. num. 6.* Et licet in criminibus, ut dictum, requirantur probationes luce meridiana clariore. *l. scient cuncti. de probat.* Sufficiunt tamen propter criminis atrocitatem, & quia de exceptis est, præsumptiones (intellige violentæ) Paris. *loc. cit. à num. 23.* Castropal. *de simon. l. 3. p. 27. num. 2. & c.* Et sic in specie ad simoniam & confidentiam sufficiunt tales præsumptiones, ut satis constat ex constitutione Pii V. Paris. Lotter. Castrop. *loc. cit.* potestque ex iis procedi ad condemnationem, & declarari, collationem, v. g. simoniacam, & committentes incidisse in pœnas iis statutas in dicta Constit. ut Paris. *loc. cit. num. 42.* dicens ita communiter servari & practicari.

6. Illud tamen occasione hujus notandum, quòd certum sit, ex solis osculis & amplexibus non induci violentam præsumptionem, adeoque nec plenam probationem adulterii, vel fornicationis sine aliis adminiculis. Barbof. *in cit. c. literis. num. 2. & 3.* Sanch. *de matrimon. l. 10. d. 12. num. 46.* Menoch. *cit. præsumpt. 41. num. 18. & seq. apud Pirh.* Item & illud, quòd nec fama nec rumor viciniæ, nec propria confessio conjugum de interveniente impedimento affinitatis contractæ ante matrimonium in initum per fornicatiam copulam cum consanguinea uxoris, etiam simul sumpta sufficiant ad gignendam præsumptionem violentam, sufficientem ad decernendum divortium quòd ad vinculum matrimonii. *c. super eo, qui cognovit consang. uxor.* Si tamen plura concurrant adminicula, v. g. quòd vir & neptis uxoris ante matrimonium visi sint simul vagari per prata, nemora, vias & invia, sitque de hoc fama publica, accedat insuper confessio jurata conjugum de habita dicta copula, virque propendeat ad uxorem ductam retinendam, evadet præsumptio violenta & plena probatio, sufficiens ad pronuntiandum, subesse impedimentum dirimens, & matrimonium nullum, juxta *c. tertio loco. h. r.* De cætero qualiter matrimonium probari possit per præsumptiones & conjecturas, vide apud Pirh. *h. r. à num. 44.*

7. Notandum quintò in delictis semper præsumi dolum, dum omne malefactum vel damnnum injustum illatum alteri præsumitur malo animo factum sive illatum. Pirh. *num. 19. & 20.* Argumento *c. sicut. h. r.* nisi tamen contrarium probetur vel alia validior præsumptio in contrarium afferatur. Argumento *l. 1. c. ad Leg. Cornel. de sicariis,* ex qua constat, eum, qui occidit hominem, probare debere, se id non fecisse animo occidendi, sed v. g. casu. Sic deprehensus abstulisse rem alienam dicat, se id fecisse, quis putabat dominum non esse invitum, contra illum adhuc manet præsumptio juris, esse illum furem; cum Dominus non præsumatur rem suam jactare velle, vel consentire, ut sibi ignorantis res sua subducatur,

8. Notandum sextò, ex præterito statu re-
ctè præsumi de futuro. Sic ex antea vita præ-
sumitur de futura. *cap. mandata. h. t. Barbof. ibi-
dem, num. 1.* sic *cap. in juventute. h. t. de eo*, qui
in juventute fuit continens, præsumitur non esse
incontinens in senio, maxime si literatus est. Sic
cap. scribam. h. t. de eo, qui negligens fuit tempore
præterito, præsumitur, quòd etiam sit negli-
gens tempore futuro. Sic *cap. literas. de restitut.*
spoliat. ex præterita favitia mariti in uxorem fit
præsumptio, ipsum etiam futuro tempore faviturum
in eam, idèque uxor, quæ se ab eo separavit,
non est ei restituenda. Sic juxta regulam
juris, qui semel malus, semper præsumitur malus,
Pirh. nu. 27. citato Menoch. *lib. 1. de præsumptis*
quæst. 24. num. 2. & seq. Verùm præsumptio hæc à
præterito ad futurum non habet locum in iis,
quæ temporis cursu necessariò, vel verosimiliter
immutantur. Sic, qui in pueritia nescivit literas,
malè præsumitur, etiam futuris temporibus
imperitus; cum verosimile sit, hominem
successivè discere potuisse, quæ antea ignoravit.
Sed hæc præsumptio à præterito ad futurum non
est unquam præsumptio juris & de jure, sed juris
iurium. Pirh. num. 29. citato Menoch. *ubi antè, numer. 29.*
Sic quoque quandoque ex præterito fit
præsumptio de præsentè, verbi gratià, qui tempore
præterito fuit subditus, etiam nunc præsumitur
subditus. Menoch. *loc. cit. num. 9.* qui olim
possedit, præsumitur etiam nunc possidere. Argumento
cap. olim. de restitut. spol. & *L. five. c. de probat.*
Sic quoque quandoque præsumitur ex præsentè
de præterito, verbi gratià, qui nunc non est dives,
& ideo non solvendo, rectè præsumitur,
etiam tempore præterito non fuisse dives. Pirh. ex Menoch. *loc. cit. nu. 44.*

9. Notanda septimò præsumptiones quædam non
violente commissi criminis ad institutum nostrum
servientes. Primò, præsumi contra illum, qui declinat
judicium, & pro illo, qui offert se iudicio. *cap. nullus. h. t. Abb. ibid. num. 1.* Sic dicitur *cap. decernimus. caus. 3. quæst. 9.* manifestum est (scilicet
præsumptivè, ut gloss. *ibid. v. eodem*) confiteri
eum de crimine, qui, in indulto iudicio, purgandi
se occasione non utitur, sive qui intra terminum
sibi à jure concessum ad se purgandum non
comparat, sed contumaciter se absentat. Circa
quæ tamen observandum, quòd si quis ante in-
quisitionem aut accusationem factam metu ejusdem
fugiat, fuga illa non faciat probationem, ne
quidem semiplenam, præbeat tamen suspi-
cionem ac præsumptionem non levem commissi
criminis. Pirh. num. 31. citans Mascard. *de probat.*
conclus. 819. num. 1. 10. & 15. Farinac. *in pr. crimin.*
lib. 1. quæst. 48. num. 1. & 27. quia plerumque rei &
criminis conscii fugà salutem quarunt. Et hæc,
nisi alia causa probabilis fugæ seu discelsus ad-
ferri possit; tunc enim, cum odia sint restringenda,
&c. *Reg. Juris in 6.* benignior in dubio inter-
pretatio sequenda. Sic sola fuga ante accusatio-
nem non facit indicium ad torturam, si justus &
probabilis timor ad sit futura accusationis, verbi
gratià, post comminationem illius. Idem est,
dum quis fugit metu incarcerationis; cum nemo
teneatur se exponere, aut ex carcere suam
innocentiam probare. Pirh. *cit. num. 31.* citatis
Gail. lib. 2. observat. 109. num. 8. & 9. Farinac. *loc.*
P. Leuren. Tract. IV. De Archidiaconis.

cit. num. 28. & seq. Quòd si verò quis fugiat post
institutam inquisitionem, vel accusationem,
præsumitur non fugisse ex conscientia criminis,
sed ob probabilem timorem instituti processus,
qui per se pericula, molestias & vexationes
causare solet, quas non omnes, etiam innocen-
tes, subire volunt; quia fortè timent Judicium
favitiam, vel potentiam inimicorum, falsos
testes, &c. Pirh. *loc. cit. num. 32.* citatis Menoch.
lib. 1. de præsumptis. quæst. 89. num. 39. Farin. *ubi antè,*
num. 27. Nihilominus & hæc fugam, etsi non
faciat præsumptionem contra fugientem, asser-
te tamen aliquale criminis indicium, seu suspi-
cionem levem, colligi in *cap. nullus. h. t.* ita ut, si
alia accedant adminicula seu indicia, efficere
possit semiplenam probationem sufficientem ad
torturam, ait Pirh. *loc. cit.* citatis Menoch. Masc.
Farin. qui tamen ultimus ultra fugam gravia in-
dicia requirit ad torturam. Sic etiam, dum famulus
fugit, seu abit à Domino in salutato hospite,
& eodem tempore res aliqua in domo amissa
est, fuga non quidem plenam probationem, præ-
sumptionem tamen furti facit. Pirh. num. 33. cita-
tâ glossâ in *authen. de exhib. reis. §. Si verò semel.* Et
hæc defuga, dum ea objicitur ut indicium cri-
minis; aliud enim est, dum ea tanquam spe-
ciale delictum objicitur, ut dum miles fugit ex
castris,

10. Notandum octavò: dum quis ex duobus
sibi objectis unum tantum negat, alterum tacitè
confiteri præsumitur. Sicut è contra, si unum
confiteatur, alterum tacitè inficiari præsumitur.
cap. nonne. h. t. Cujus ratio est, quòd quando quis
potest prohibendo, vel negando, aut contradi-
cendo impedire actum, & tacet, tunc taciturnitas
habeatur pro consensu; secus, si non possit
prohibendo, vel negando. Diligenter tamen
hic attendendæ circumstantiæ, quæ tales esse
possunt, ut præsumptio hæc locum non habeat.
Pirh. num. 36. citato Laym. *Theol. moral. tit. 2. c. 3. num. 3.*

11. Notandum nonò circa præsumptionem,
quæ ex vicinitate loci præsumitur notitia facti lo-
ci vicini. *cap. quosdam. h. t. Barbof. ibidem, nu. 1.*
sive quæ vicinus præsumitur scire eam, quæ in vi-
cinitate facta, seu sui vicini. *cap. quoniam. h. t. Barbof. loc. cit.* citans Parisium. *conf. 23. num. 18. lib. 1.*
Tusch. *v. scientia. conclus. 62. num. 1.* Mascard. *de probat. conf. 752. &c.* id intelligendum de factis,
quæ sunt communiter nota in loco illo, & tunc
contra præsumptionem juris non facile admittitur
volens probare ignorantiam per proprium jura-
mentum. Abb. *ad cit. cap. num. 3.* Menoch. *de præsumptis. lib. 6. præsumpt. 24. nu. 10.* quemadmodum
si quis alleget ignorantiam legis vel edicti publi-
cè promulgati, ordinariè non auditur, si eam igno-
rantiam clarè & dilucidè non probet; quia contra
talem stat præsumptio juris. *cap. 1. de postulat.*
Pirh. num. 38. citans Innocent. *in cap. 2. de constit. in fine.* E contra, si facta in vicinitate non sint publicè
nota in loco illo, non præsumitur vicinus illa scire,
sed alleganti ignorantiam credendum, nisi ex officio
tenebatur factum indagare; cum ignorantia facti
alieni regulariter præsumatur, donec scientia
proberetur. *Regul. Juris 47.* Quòd si ignorantia talis,
spectatis circumstantiis, verosimilis apparet
Z
Judi-

Judicis arbitrio relinquitur, an ei juramentum deferendum; eoque cum ignorantia in mente hominis lateat, aliter probari nequeat, quam per juramentum allegantis. Pirh. num. 38. ex Menoch. loc. cit. num. 3. & seq. qui tamen num. 8. & 9. dicat, non debere in supplementum probationis deferri juramentum alleganti ignorantiam facti alieni, dum contra allegantem est vehemens presumptio, vel ubi agitur de gravi alterius praejudicio. Ubi etiam illud observandum, quod si testis deponens de facto vicini, quod palam fieri solet, interrogetur de causa scientia, & is hanc causam reddat, dicendo, se id scire, quia vicinus est, probationem ejus admitti debere, quia probat praesumptivè, sive juxta praesumptionem juris. Deponens verò de facto in vicinia, quod clam & secreto fieri potest & solet, verbi gratia, contractus celebratus, testamentum conditum, adulterium commissum à vicino, &c. nihil probat; cum tales actus vicini non praesumantur sciri. Porro vicini dicuntur, qui habent praedia vicina; item qui habent aedes in conspectu, sive sint proximae, sive non. Item qui habitant in eadem contrata secundum vulgi opinionem. Barbosa ad cap. quosdam. h. t. num. 2. citatis Tiraquel. de retract. lign. §. 1. gl. 9. num. 21. Menoch. de habit. casu. 122. à num. 13. &c. Notandum etiam, quod factum notum in loco remoto praesumitur etiam notum in loco vicino, cap. quanto. h. t. Admittitur tamen contra hanc juris praesumptionem probatio in contrarium. gloss. hic. v. non potuit. Abb. num. 1. apud Pirhium num. 39.

12. Notanda decimò: circa hos terminos Notorium, fama, infamia, quae praesumptionem fundare, vel excludere possunt sequentia. Primum, cum dicatur cap. consuluit. de appellat. pleraque judicantur notoria, quae non sunt. videndum, quid proprie sit notorium. Proinde dico, notorium non esse, quod simpliciter verum est, vel manifestum, sed ejus veritas publice, adeoque majori parte populi est patens, & ideo nullo modo valet celari. Lotter. de re benefic. lib. 3. quest. 18. num. 39. citans Surdum conf. 188. num. 13. &c. addit tamen Lotterius, id non tam crudè intelligendum, quod minùs ad constituendum notorium simplex facti sufficiat id gestum coram decem hominibus, juxta Cynum in Lea quidem. & de accusat. num. 1. & 2. cum multitudo conficiatur à turba, turba autem à numero decem hominum. Porro notorium aliud est tale notorietate facti, quod nimirum est notorium per evidentiam facti, quae nullà tergiversatione celari potest. Aliud notorium notorietate juris, nimirum delictum, quod ordine judicatio comprobatum & sententiatum est, vel confessum in judicio. Etsi autem notorium notorietate facti non egeat probatione; sed sufficiat illud allegare. Lotterius loc. cit. num. 44. citans Cardin. Gemin. &c. id tamen non sufficit, dum hoc ipsum in dubium revocatur. Lotterius ibidem ex Felin. in cap. si Clericus laicum. de foro compet. num. 3. ubi enim aliquid debet constare, non sufficit allegari. Lotterius num. 45. qui etiam num. 46. subdit, vix esse excogitabilem casum, in quo evitari possit necessitas justificandi hanc notorietatem, etiam si illa plusquam vera sit, cum licet in note-

scat aliis, tamen adhuc non sit cognita Judici tanquam Judici. Quod ipsum, ut praestetur, necessaria est causae cognitio, praevia citatione partis. Lotterius num. 47. citans Ferret. conf. 31. num. 35. cum hac tamen exceptione: nisi agatur de notorio facti permanentis, ut idem Lotterius numer. 48. citans Abbat. in cap. dudum. de elect. num. 6.

13. Fama est notitia & opinio manifestata & divulgata extrinsecis voce, orta ex rationabilibus & probabilibus conjecturis (non enim requiritur, ut ii, apud quos, verbi gratia, delictum divulgatum & diffamatum, sint testes de visu; quia tunc non esset tantum diffamatum, sed notorium: vel etiam, ut opinio illa ortum habuerit à pluribus testibus de visu dignis; tunc enim esset manifestum) sufficientibus tamen ad hoc, ut viri providi graves & honesti opinentur illud esse (alias enim non erit fama, sed vox vana populi. Sylv. v. fama.) habita à majore parte (ita ut in majoribus criminibus major numerus personarum, quam in minoribus requiratur ad infamandum, & multò major ad infamandum personas publicas, quam privatas. Abb. in cap. inquisitionis. de accusat. num. 6.) virorum honestorum, prudentum ac gravium (infamis enim non est, cujus fama lata tantum apud malevolos, maledicos, pueros, mulieres, aliave personas leves. Garcias de benef. part. 7. cap. 8. num. 12. Sanch. opusc. lib. 6. cap. 3. dub. 90. juxta cap. quanto & qualiter. de accus.) qui verisimiliter id scire possunt ac debent, si factum est verum & divulgatum; quales ferè sunt vicini, vel multitudo eorum, quorum interest scire, verbi gratia, scholarium Universitatis, etsi hi habitent in diversis plateis seu partibus civitatis, respectu delicti commissi ab uno eorum, ita ut, si eorum multitudo sit parva, & non tanta, ut constituat populum (ad quem constituendum, ut dictum, requiruntur ad minimum decem, cap. curio. 19. quest. 3. Sylv. v. populus) non sufficiat major pars illorum, ut dicatur factum famosum. Porro fama bona excludit praesumptiones malas. Paris. de consil. quest. 74. num. 2. citans Tiraq. de penis temp. conf. 15. num. 2. & tollit praesumptionem delicti. Paris. ibid. ex Angel. tract. de malef. v. fama publica. Item regulariter fama facit semiplenam probationem. Paris. loc. cit. quest. 51. num. 11. Imò cum aliquibus adminiculis plenè probat in his, quae sunt difficili probationis. Paris. loc. cit. quest. 71. num. 17. citans cap. propterea. de testib. Host. in cap. ult. quod metus causa. Alex. conf. 53. l. 2.

14. Infamia duplex est. Alia facti. Haec ut distincta ab infamia juris, est macula quaedam moralis, independenter ab omni lege humana ad ipsum factum confurgens, & partens de operante notitiam obscuram cum vituperatione & reprehensione, per quam in opinione hominum persona tanquam maculata censetur indigna ad actus quosdam legitimos, dignitates & munus. Ego Fori benef. part. 1. qu. 339. num. 1. Privat haec dicitur & primò possessione naturali famae. Passer. de elect. cap. 25. num. 547. Alia est infamia juris, quae est macula moralis ad factum non nisi ex vi & institutione legis, sive scriptae, sive non scriptae, confurgens & maculans in ordine ad effectus

à lege intentos. Unde & definiti potest, quod sit à jure introducta privatio domini famæ legalis, seu ejus famæ honorabilis & claræ, quam in hominibus supponunt actus legitimi, ut decenter & validè exercentur. Unde vides, hanc infamiam juris non dicere opinionem aliorum, nec esse necessariò quid divulgatum, uti requiritur ad infamiam facti; quia hoc famæ dominio privati sunt etiam delinquentes occultissimi, quibus hæc pœna infamiae juris ipso facto incurrenda statuta est (infames enim sunt, quos lex infamat eo ipso, quod aliquid commiserint. Jason in *L. cunctos populos, de summa Trinit. lect. 2. num. 44.*) Quod autem tales delinquentes occultos non liceat infamare extra iudicium, inde est, quod etsi dominium famæ amiserint, eam de facto tamen adhuc possideant; & nec latro sine injuria exturbandus possessione propriâ auctoritate. Passer. *loc. cit.* Ex quibus jam etiam inferitur, quod infamia facti & simul juris incurfa privet dominio & possessione non tantum naturali, sed & civili famæ propriæ; & consequenter (qui est effectus secundarius utriusque hujus infamiae) infamis talis erit inhabilis & impeditus ad actus legitimos, præsertim Ordinum, Prælatuæ, dignitatis, propter excellentem honorem & sanctitatem suam respicientium ministrum, quia hominum optione sit claræ famæ, & æstimationis commendabilis. Passer. *loc. cit. num. 543.* Porro infamia facti propriè loquendo est indispensabilis; cum jus naturæ & dictamen rationis indispensabile prohibeat infamem manentem talem (hoc est, qui dignâ poenitentia, & virtuosâ vitâ præcedeat om infamiam non absterfit) promoveri ad beneficia ecclesiastica. Ego in *Foro Benef. cum Passer. loc. cit. num. 540.* Docentes contrarium, ut Barbof. *de off. Episc. alleg. 43. num. 30.* Mirand. *tom. 2. qu. 8. art. 5.* Rodriq. *to. 1. qu. 24. num. 6.* &c. nimirum posse in hoc dispensari. Hi, inquam, confundunt infamiam facti cum infamia juris, in qua quandoque dispensari potest etiam ab Episcopo. An verò infamis ipso jure, occultus tamen, teneatur se extrinsecus habere ut infamem, abstinendo ab actibus legitimis, verbi gratiâ, ab Ordinibus, à beneficiis acceptandis, &c. Vide resolutum à me in *Foro benef. part. 1. qu. 342. nu. 1.* ubi secutus sum partem negativam cum Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 13.* Sanchez *de matrim. l. 7. d. 13. num. 1.* Passer. *num. 555.* contra Suarez, Felin. &c. eò quod qui manet in possessione famæ suæ, retinetque jus possidendi, eaque utendi, habet extrinsecus & possidet æstimationem illam laudabilem, quam ratio & iura requirunt ad actus legitimos, dignitates, &c. Vide tamen *loc. cit.* rationem in contrarium AA. contraria sententiæ, uti & *num. 2.* limitationem nostrâ.

15. Observandum tamen circa hæc de infamia, quod crimen quamvis notorium evidentia rei seu notoreitate facti, etiam, cui in jure statuta est pœna depositionis (secus est, si statuta sit in specie pœna Irregularitatis) non infamet simpliciter civiliter & canonicè, seu legaliter per respectum ad effectus legales, arcendo ab actibus legitimis per modum impedimenti ex se perpetui à jure inducti, sed etiam naturaliter, arcendo quasi naturaliter propter indignitatem, verbi gratiâ, à promotione ad Ordines, ab exercitio ministræ-

R. Lounen, Tract. IV. de Archidiaconis.

riòrum ecclesiasticorum, sed non nisi per modum impedimenti temporalis per poenitentiam & emendationem tollibilis. Suarez *de Censur. d. 48. sect. 2. num. 6.* Layman. *lib. 1. de irregular. cap. 4. num. 10.* Passer. *de elect. cap. 25. num. 562.* & seq. Sylv. *v. infamia. num. 11.* citantes Abb. in *cap. inquisitionis. de accus. num. 2.* Vide me ipsum *For. benef. part. 1. quest. 343. & 344.* &c. Unde jam inferitur, Clericum notoriè concubinarium, vel adulterum, post peractam sufficientem poenitentiam, & vitæ emendationem posse celebrare, aliâque præstare. Quinimo notoreitas Juris, dum crimen solum notum per solam confessionem rei in iudicio coram Judice legitimo non sufficit ad inducendam infamiam juris, consequentisque illam effectus. Passer. *loc. cit. num. 275.* citans Sylv. *ubi antè.* Abb. in *cap. clericus. de iudicis. &c.* contra Navar. sed solum notoreitas juris, dum quis ex delicto dolo malo (qui, ut Sylv. *v. culpa.* est machinatio, calliditas, fallacia ad decipiendum alium adhibita) commisso, ita ut citra talem dolum non sufficiat etiam ignorantia crassa. Passer. *loc. cit. num. 569.* Sanch. *opus. lib. 6. cap. 3. dub. 6. num. 14.* damnatus per Judicem ordinarium (ita ut non sufficiat sententia arbitri, Sanchez *loc. cit. Passer. num. 570.* citans *L. quid ergo. de his qui notantur infamia*) sententiâ definitivâ (ita ut non sufficiat sententia lata in contumaciam; hæc enim non infamat) quæ transierit in iudicatum (qualis non est, dum interposita appellatio) dum pœna non est severior ordinariâ; tunc enim Judex censetur transgressisse super infamia. *cit. L. quid ergo. & ibi: Bartol.* Item dum pœna ex causâ extrinseca est melior ordinariâ, Vide me *loc. cit. q. 345.*

16. Observandum, quod quando famâ & clamor non à malevolis & maledictis, sed à providis & honestis non semel, sed sæpe pervenit ad aures Superioris contra aliquem subditum, Superior quasi nuntiante famâ, vel deferente clamore diligenter inquirere debeat in veritatem. Barbof. in *collect. ad cap. quando & qualiter. de accusat. num. 1.* Inquisitio autem non precedente famâ sit nulla & invalida; quia contra non infamatum non potest inquiri, Barbof. *loc. cit. num. 5.* citans Farinac. in *pr. crimin. part. 1. quest. 9. num. 1.* & seq. Sayr. *clavi reg. lib. 12. cap. 10. num. 19.* Bonacof. *commun. crim. part. 3. v. diffamatio. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 6.* &c. ad procedendum enim procedere debet criminis diffamatio, quæ vicem accusationis obtinet. Barbof. *loco cit. num. 5.* citans Angel. *de malefic. v. fama publica.* Marant. *de ordin. iudic. part. 6. de inquisit. num. 19.* Farinac. in *pr. crimin. part. 1. quest. 1. num. 50.* &c. & procedere sine diffamatione, & dirigere inquisitionem in peccatorem occultum, & ad detegendum ejus crimen interrogare testes, omni jure prohibitum esse, ait Torreblanc. *tract. de magia. lib. 3. de criminis punit. cap. 16. num. 26.* apud Barbofam *loc. cit. num. 5.* Quinimo fama præcedens inquisitionem non sufficit, quod sit simplex, sed debet esse vehemens, & à clamorosa insinuatione procedens, sæpius ad Judicis aures perveniens, & talis, ut scandalum generaretur, nisi Judex inquireret. Barbofa *loc. cit. nu. 7.* citans Clar. *ubi antè. vers. quæro nunc.* Marant. *num. 10.* Farinac. *num. 5.* debetque hæc diffamatio procedere, sive Judex procedat ad partis querelam,

sive ex officio. Barbof. loco cit. num. 9. citato Farinac. ubi antè, n. 4. &c. qui etiam dicat, non credi Judici asserenti in inquisitione processisse famam, nisi de ea aliunde appareat per testes particulariter super dicta fama receptos. Specialiter verò hic observandum à Commillariis illis Archidiaconalibus, similibusque Visitatoribus, quod habet Barbofa loc. cit. num. 17. ex cit. cap. quandoque & qualiter. nimirum contra regulares non debere fieri inquisitionem, nullà præcedente infamiâ. Pro quo citat Duaren. reg. 208. limit. ult. (ubi etiam asserat, quod c. in singulis. de statu Monach. loquatur, quando illa inquisitio fit per Visitatores) Rodriguez q. regular. tom. 2. q. 19. art. 6. Item notandum, quod Barbofa subdit num. 18. citato Sigismundo à Bononia de elect. dub. 102. num. 5. Joseph à S. Maria in tribunal. religios. tr. 5. c. 6. nu. 1. &c. nimirum religiosos faciliùs amoveri posse à suis administrationibus, quàm alios clericos. Limitanda hæc ipsa tamen primò, ut non sit necesse præcessisse formam, dum crimen aliàs occultum vergit in perniciem spiritualem vel temporalem alicujus communitatis, verbi gratiâ, hæresis occulta, proditio civitatis, &c. Barbofa loc. cit. n. 12. citans Clar. ubi antè, vers. item scias. Navar. in man. cap. 25. num. 33. Guttier. q. can. lib. 1. quest. 11. ex num. 48. Farinac. cit. quest. 9. num. 14. Menoch. conf. 100. num. 63. & seq. &c. Secundò, ut teneat inquisitio, infamiâ non præcedente, dum pars non opponit de non præcedente fama. Barbofa loc. cit. num. 13. citato Claro ubi antè, vers. scias ulterius. Farinac. cit. quest. 9. num. 12. Menoch. de arbitr. lib. 1. quest. 78. num. 4. &c. Alias limitationes vide apud Barbofam loc. cit. num. 14. & 15. qui tamen nu. 16. ait: hodie communi ubique terrarum usu receptum est, ut Magistratus ad crimina punienda procedant etiam occulta, quæ probari possunt, nullà præcedente infamiâ, velex officio, vel ad Fiscalis denuntiationem. Pro quo citat Clarum lib. 5. s. fin. qu. 2. nu. 5. & qu. 6. nu. 1. Farinac. cit. qu. 9. à nu. 20. & hoc jure utitur Hispania. Unde Lessius de iure & iust. lib. 1. cap. 19. dub. 15. num. 132. ait, hanc praxin sustineri posse in delictis, quæ republicam turbare solent, & quando non tam ad punitionem proceditur, quàm ut bono communi consulatur, maleficia impediuntur, respublica criminibus purgetur.

Atque hæc pro rudi aliqua terminorum, & quorundam principiorum notione & explicatione in præfens sufficiant.

Questio 656. Archidiaconus an & qualiter concedere possit dimissorias &

Resp. primò prænotando hæc duo, literas dimissorias & commendatitias sumi quandoque pro eodem, & inter se confundi, uti fit in c. significasti. de off. Archid. juxta paulo post dicenda, esseque varias tam harum, quàm illarum species. Nam commendatitia accipiuntur primò pro literis testimonialibus, quibus simpliciter perhibetur testimonium de vita & moribus; & concedi possunt à Parocho, & Magistro scholarum, Fagn. in cit. cap. significasti. num. 2. juxta Tridentinum sess. 23. cap. 5. Dein pro literis testimonialibus, quæ promovendos ad Ordines de moribus ac vita simpliciter commendant Ordinarios. Quæ etiam dicuntur commendatitia pacifica à

Jo. And. in cap. fraternitati. num. 2. de cleric. non resid. concedunturque à Prælatis etiam inferioribus, modo habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, ut Fagn. loc. cit. & nu. 26. juxta cit. cap. fraternitati. Verùm neque his hodie dum Ordinarios contenti esse debent, dum Innocentius XII. requirit pro Ordinibus suscipiendis ab Episcopo domicilii vel beneficii testimoniales de moribus & vita datas ab Episcopo originis. Sic quoque dimissoria accipiuntur primò pro illis, quæ dantur appellanti, & vulgò Apostoli nuncupantur L. dimissoria. ff. de verbor. signif. gl. in cit. cap. fraternitati. dicunturque tales; quia ad eum, ad quem appellatur, causa dimittitur. Fagnan. loc. cit. num. 4. citans Jo. Andr. in cap. fraternitati. num. 3. dum accipiuntur pro iis, de quibus in cap. 1. & 2. de Cleric. peregrin. quibus nimirum conceditur Clerico licentia peregrinandi, & is quasi dimittitur & absolvitur à potestate Episcopi, perhibeturque hunc in finem Clerico peregrinato testimonium de moribus, vita, & Ordinibus illius. Quæque etiam formata dicuntur, & quarum formulam addidit Nicænum Concilium, prout refertur cap. 1. dist. 73. quas minor Episcopo concedere nequit, cum, ut Jo. And. locis cit. num. 1. sint species quædam alienationis. Fagn. loc. cit. nu. 2. & 3. Denique accipiuntur pro iis literis, quæ non solum commendant subditum, sed & illi facultatem dant suscipiendi Ordines ab Episcopo alieno. Trident. sess. 23. cap. 10. quæ & ipsæ formata dicuntur à Concilio Nicæno relato dist. 73. cap. 1. & 2. & à Trident. loc. cit. nu. 7. reverendæ dicuntur. Et de his in præfente procedit questio. Hinc

2. Resp. secundò: dictas dimissorias licentiales peregrinandi concedere nequit Archidiaconus; quia id superat potestatem omnium inferiorum Episcopo, juxta dicta immediate antè: inferior autem Episcopo est Archidiaconus, ut patet. Sed neque dimissorias ad suscipiendos Ordines ab Episcopo alieno concedere potest Archidiaconus, aut alius Episcopo inferior ob eandem rationem. Azor. Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 14. q. 2. in fin. Fagn. cit. n. 2. juxta cap. quamvis. dist. 68. cap. extraneo. & cap. primatus. dist. 71. & cap. non oportet. de consecr. dist. 5. quos textus citat Fagnan. Et de Archidiacono in specie, quòd is eas sine expresso consensu Episcopi dare nequeat, est textus in cit. cap. significasti. quod licet utatur termino commendatitias, is tamen de his dimissorialibus accipiendus est, ut ostendit fuse Fagn. cit. num. 2. In quod cap. Layman. in paraphrasi ait: Archidiaconus sine consensu Episcopi literas dimissorias dare non potest; sed neque Clerici freti talibus literis absque licentia Episcopi datis Ordines accipere possunt, alioquin de executione Ordinum prohiberi possunt. Rationem etiam addit hisce expressis: quia per literas dimissorias derogatur juri Episcopali; quod habet ad ordinandum Clericos sibi subjectos. Quæ ipsa est causa, cur vacante sede (prout ipsum quoque ex Jo. And. ait Fagnan. loc. cit. nu. 3.) Capitulum dimissorias concedere nequit; quia jura Episcopalia successorii reservari debent. Et dein in notand. unic. addit idem Layman. si dimissoria sine consensu Episcopi ab Archidiacono vel Vicario generali data sint, pro non datis haberi debent, ita ut poena & inhabilitates incurrantur, de quibus se dixisse ait in cap. 2. de tempor. ordinat. in 6.

3. Sed

3. Sed & (quod non inepre occasione Archidiaconi hic inferitur) Prælatos alios, & in specie Abbates habentes cum separato territorio iurisdictionem quasi episcopalem in parochos & parochianos privatim ad Episcopum posse hodieum, stante decreto Tridentini *sess. 23. c. 10.* (uti id poterant olim, & ex pluribus textibus ostendit Fagn. *loc. cit. n. 13.* & uti id possunt adhuc hodieum respectu suorum Regularium, præservante hanc eorum facultatem respectu horum expressè Tridentino, ut Fagnan. *ibidem*) suis subditis secularibus concedere dimissorias ad Ordines suscipiendos, fusè tradit Fagnan. *loc. cit. à n. 17.* contra quosdam contrarium sentientes apud eundem *n. 14.* eò quòd censent decretum illud Tridentini non tenere ex eo, quòd non derogat Synodo 7. generali, de qua in *c. quoniam. dist. 69.* nec privilegio corpori iuris interto, nempe *c. Abbates. de privileg. in 6.* quorum sententiam omnino falsam esse, probasse se fusè ait in *c. fin. de rescript.* Item contra alios apud eundem *ibidem.* & in specie contra Gratian. *discept. for. to. 2. c. 212. per rot.* modestius sustinentes, illo decreto Tridentini non comprehendì ejusmodi Abbates. Stabilit sententiam suam Fagnan. *cit. cap. 17.* ex eo, quòd Tridentinum statuendo, quòd Abbatibus & aliis quibuscunque intra fines alicujus diæcesis consistentibus, etiam si nullius diæcesis vel exempti dicantur, non liceat cuipiam, qui eorum subditus regularis non sit, Tonsuram vel minores Ordines, nec dimissorias concedere, apertè dictos Abbates includat. Quin & hoc idem sonet & sit, ac si expressè id prohibuisset Abbatibus iurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem privatim ad Episcopos habentibus; dum idem importat; esse nullius diæcesis; & habere proprium territorium separatum à territorio Episcopi, juxta *gl. in Clem. 1. de form. compet. & ibi Cardin. num. 2. Imol. nu. 38. Vitalio. nu. 4. Abb. nu. 15.* territorium verò acquiri (sive hæc acquisitio fiat per præscriptionem immemorabilem, ut Archid. & Jo. And. sive per privilegium) nequeat sine omnimoda iurisdictione privatim ad Episcopum; cum inferior efficiatur Ordinarius cum territorio separato à quacunque diæcesi non nisi habendo iurisdictionem Episcopalem in clerum ac populum excluso Episcopo. *gl. in cit. Clem. §. volumus. v. diæcesanis.* Anchar. *ibid. n. 10. & c.* Et tunc demum separata territorium à diæcesi Episcopi, & sit proprium Abbatibus, quando privilegium nedum eximit, sed & tribuit iurisdictionem. Jo. And. in *c. nimis. de jurejur. circa mediam.* Anchar. in *cap. postulasti. de for. compet. n. 4.* Abbat. & c. apud Fagnan. *cit. nu. 17.* qui etiam à *nu. 20.* solidè solvit, quæ in contrarium obmoventur. Quorum illud ferè potissimum est, quòd Tridentinum *sess. 24. c. 20. §. ad hæc.* decreto suo non comprehendat Abbates hujusmodi nullius diæcesis, habentes ante Concilium facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus & criminalibus in suos subditos, & omnem iurisdictionem. Siquidem hoc decretum loquitur aliis omnino verbis, quàm decretum illud *sess. 23. c. 10.* quippe prohibet, ne hujusmodi causæ Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio relinquuntur, quæ verba non conveniunt Abbatibus nullius diæcesis; quia hi excellentiorem dignitatem, & primam post Pontificalem habent, ut apud Fagn. Bald. in *c. pastoralis. de off. deleg. v. superiores.* Felin. *ibid. col. 4.* Lap. *alleg. 84. n. 15.* Abbat. P. Leuren. *Tract. IV. De Archidiaconis.*

in *Clem. diæcesanis. de vita & honest. Clericor.* ubi quòd nomine diæcesani veniant inferiores Episcopo, habentes dictam iurisdictionem. Neque hanc objectionem promovent verba illa *cit. §. ad hæc. & aliorum.* ita ut iis comprehendi videantur omnes Episcopo inferiores; quia illa important omnimodam similitudinem ad expressa, ut citatis quam plurimis Fagn. *cit. n. 22.* expressi autem fuerant Decani, Archidiaconi, & c.

4. Resp. tertio: Nihil tamen obstat, quòd minus Archidiacono, alterive inferiori ab Episcopo specialiter concedi possit facultas dandi dimissorias ad Ordines. Fagn. *loc. cit. nu. 5.* juxta *cap. cum Bertoldus. de sent. & re judic.* Non tamen censetur hæc facultas data in generali commissione, nisi fortè quis gerens generaliter vices Episcopi, absque eo, quòd specialiter in ejus commissione hic casus expressus esset, aliqui similes casus essent expressi cum apposita clausula generali: *super præmissis, & in omnibus aliis ad nos spectantibus.* Fagnan. *loc. cit. n. 6.* quàmvis Host. tradat, & tunc non debere hoc expedire sine conscientia Episcopi, si is præsens esset; Episcopo verò absente in remotissimis, Vicarium generalem Episcopi posse dare hanc licentiam ordinandi juxta *c. cum nullus de tempor. ordinat. in 6.* Quid verò hac in parte possit Capitulum sede vacante, dictum est supra. Vide Fagn. *loc. cit. à n. 7.*

5. Resp. quarto: Episcopo absente à sua diæcesi, & imminente necessitate aut utilitate ordinandorum posse Archidiaconum præsentare alijs Episcopis ordinandos, per quos ordinentur; si tamen id habeat consuetudo, tenet *gl. ad cit. c. significasti.* quam sequuntur Butrio & Abb. *ibid.* apud Fagnan. *nu. 11.* Hanc quoque glossam sequi videtur Laym. *loc. cit. notand. unic.* remittens tamen ad ea, quæ dixerat *cap. 3. de temp. ordin. in 6.* Verùm hanc glossam reprobat Host. *ibid. n. 4.* cui inhaeret Sbroz. *de off. Vicar. l. 2. c. 41. n. 13.* eo quòd litera hujus *cap. ei* contradicat; dum Papa nullum casum excipiat. Item contradicat illi alia litera *cap. 2. §. si Episcopus defuerit. de off. Archipresb. Fagn. cit. n. 11.*

Quæstio 657. Num Archidiaconus unire & dividere possit beneficia?

1. Resp. ad primum negativè. Sbroz. *l. 2. q. 112. nu. 2.* citans Rotam apud Mohed. *decis. 337.* & Put. *decis. 1. de off. Vicar. Lotter. de re benef. lib. 10. qu. 28. nu. 20.* ex Innoc. in *c. ad hæc. de off. Archid. n. 10.* ubi: quòd etsi Archidiaconus sit Vicarius Episcopi ordinatus à lege, unire tamen non potest beneficia. Unde etiam Gemin. *conf. 38. n. 10.* infert, id non posse Vicarium generalem Episcopi.

2. Resp. ad secundum quoque negativè: cum dividere ecclesias sit species alienationis, Sbroz. *loc. cit. quæst. 116. nu. 6.* citans Innocent. & Abbat. in *citat. cap. ad hæc.*

* *
*

Z 3

Quæstio

Quaest. 68. An, & qualiter Archidiaconus possit instituere in beneficiis, maxime curatis?

1. Respond. primò : Decanos rurales instituere uti & destituere (intellige, quò ad hoc eorum officium) potest Archidiaconus, sed non sine consensu Episcopi; cum illi tam Episcopo quam Archidiacono subsint. Laym. in 6. ad hac. de off. Archid.

2. Respond. secundò : Archidiacono quà tali quemadmodum jure communi seu regulariter non competit conferre beneficia; potest tamen id ei competere jure quodam speciali, non secus ac aliis praelatis Episcopo inferioribus, vel etiam aliis Clericis in dignitate non constitutis. Ego in For. benef. p. 2. q. 723. num. 1. cum communi; ita etiam & non aliter jus instituendi in beneficiis curà animarum carentibus eidem competere potest. Et quidquid sit de eo, num olim jure communi, nempe vi cap. ad hac. spectaverit ad illum instituere in beneficiis juris patronatus, quod affirmat Zerol. in pr. Episc. p. Ia. v. Archid. etsi addat, ad illud c. ad hac. dici posse, institutionem ibi sumi pro missione in possessionem.

3. Respond. tertio : in beneficiis verò curatis regulariter non nisi de autoritate & mandato Episcopi instituere potest. Fagn. in c. ad hac. de off. Archid. num. 24. Barbos, Jur. eccles. l. 1. c. 24. n. 30. Vel sine tali mandato (nomine tamen & vice

Episcopi) si id habeat ex prescriptione seu consuetudine legitime praescripta. Neque obstat textus c. cum satis. de off. Ordinar. cum per illum prohibeatur solum consuetudo seu magis praescriptio, per quam Archidiaconus intendit instituere in beneficiis istiusmodi nomine proprio. Barbos, loc. cit. citans seipsum de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. num. 185.

4. Resp. quartò : sed neque ulla consuetudine instituere, vel aliter providere potest curatis sine approbatione Episcopi; consuetudo enim, utpote ecclesiis summe perniciosa prevalere nequit, ut ministri curati in ecclesiis Episcopo subiectis instituantur absque summi in diaecesi Pastoris, nempe Episcopi, cognitione & consensu. Unde etsi alii quoque Praelati Episcopo inferiores jus acquirere possint instituendi curatos, nunquam tamen sine examine & approbatione Episcopi. Pirh. ad tit. de off. Archid. num. 13. Laym. ad c. cum satis. tit. eod. Azor. p. 1. l. 3. c. 19. juxta Trident. sess. 7. c. 13. Hinc quoque

5. Respond. quintò : nequit Archidiaconus instituere institutione autorizabili, seu curam animarum committere. Barbos, loc. cit. num. 33. citans c. cum satis. Galganet. de Jur. publ. l. 3. tit. 21. num. 1. Azor. p. 2. l. 3.

6. 14. q. 2.

* * *



CAPUT TERTIUM.

De Officio & Qualitatibus Archidiaconi.

Quaest. 659. Quid possit Archidiaconus, aut quid muneris sit illius circa examen promovendorum ad beneficia, vel etiam ad Ordines?

1. **R**espond. primò: Archidiaconus habens jus conferendi curata, non potest instituere examen per concursum, aut etiam proponere edicta. Paris. *de resignat. l. 8. q. 9. num. 99.* sic resolutum testans à S. Congreg. Sed neque debere illum huic examini intervenire cum Examinatoribus, sive non debere illum simul examinare, nisi sit unus ex Examinatoribus. Fagn. *in c. ad haec. num. 25.* Pignat. *tom. 4. consult. 181. num. 17.* testantes sic expressè ad interrogacionem desuper factam respondiisse S. Congr. Concilii. Fallitur proinde Zerola, *dum p. 2. v. Archidiaconus dicitur*, per hoc, quòd Concilium Tridentinum statuerit, eligendos Examinatores in synodo diocesana, non excludi Archidiaconum, cui de jure communi & antiquo id competit; sed Examinatores illi electi intelligantur simul cum Archidiacono, cui de jure id competit cumulatìve. Fallitur, inquam, si id intelligat de examine in concursu ad parochiales, ut amplius patebit ex mox dicendis.

2. Respond. secundò: Clericos promovendos ad beneficia alia examinare de jure spectat ad Archidiaconum; sic enim expressè statuitur in *c. ad haec. de off. Archid.* ut nimirum qui beneficiis ecclesiasticis praeficiendi fuerint, à suo prius examinarentur Archidiacono, & per ipsum postmodum Episcopo praesententur. Neque hanc de jure antiquo competentem Archidiacono facultatem Concilium Trident. sustulit illi, ut expressè respondit S. Congreg. nisi quòd ad parochiales, quae conferendae sunt pravo examine per concursum. Fagn. & Pignat. *ll. cit.* His tamen non obstantibus, poterit quoque hoc examen seu potestas examinandi promovendos ad beneficia non parochialia competere aliis ex consuetudine, v.g. Episcopo aut ejus Vicario generali, intellige, privative ad Archidiaconum.

3. Respond. tertio: Clericos promovendos ad Ordines examinare, eosque ordinandos offerre Episcopo jure communi spectat ad Archidiaconum. *c. ad haec. c. ut nostrum. de off. Archid.* Fagn. *loc. cit.* Barbof. *jur. eccles. l. 1 c. 24. num. 22.* citans quamplurimos. Laym. *ad c. ut nostrum.* Zerol. *in pr. p. 2. v. Archid.* Pignat. *loc. cit. à num. 1.* ubi ex Quarant. *in sum. Bull. v. Ordo.* quod officium Diaconi est, ordinandos primùm examinare, & inquirere an habeant sufficientem titulum, & postmodum illos praesentare Episcopo ordinanti; censerique ab AA. hoc munus examinandi promovendos ferè praecipuum inter officia Archidiaconi testatur Pignat. *loc. cit. num. 13. in fine.* Porro, dum examen illud in istum finem demandatur Archidiacono, ut quemadmodum debet (ut constat ex pontificali Romano *p. 1. tit. de ordinat.* ubi interroganti Episcopo à Diacono praesentante ordinandos; scis illos esse dignos? is respondet: quantum humana fragilitas nosce sinit, scio & testificor esse dignos) possit testari Episcopo ordinanti de qualitate ordinandorum, patet super quibus illud institutum, nempe non tam super scientia (eruditionis enim ac literarum dijudicatio ab aliis quoque, puta Examinatoribus & Episcopo ipso facillè fieri potest) quam super titulo, aetate, & vel maxime super conversatione, moribus, integritate vitae, qua discussio à nullo melius fieri potest, quam ab Archidiacono, qui oculi sunt Episcoporum, oberrantes & circumlustrantes ea, tam quae in Clero, quam quae per parochias geruntur, ut Episcopis saepe ob multitudinem negotiorum ad similia attendere non valentibus referant; consistitque in hac inquisitione ferè examen illud, quod Archidiacono demandatur per *c. ad haec. c. ut nostrum. de off. Archid.* Proinde jam, cum, ut notat S. Chryostom. *l. 2. de sacerdot. c. 4.* ea fides, quae à vulgi opinione facta est, non debeat esse praecipuum ac unicum signum, quo ordinandi approbari debeant, debent Archidiaconi per seipos in mores & vitam eorum sedulo inquirere ac cognoscere, examinando quoque vulgi famam, ut non solum quid de iis populari rumore perferatur, sed etiam quae rumorum causa & conditio, praecognoscat, faciendòque se informari virorum fide dignorum testimoniis aliisque viis, (quas videre est apud Pignat. *loc. cit. num. 7. & 8.*) ne, si pro indigentis aut ignotis testentur, peccent mortaliter, ut idem Pignat. *num. 2. cit. c. unico. de scrutin. in ordin. faciend.* quin & ne, si inidoneum praesentent, teneantur ipsi providere tali ordinato de sustentatione, donec facti idonei beneficium consequantur, ut Laym. *ad c. accepimus. de atat. & qualit. praeficiendorum. num. 4.* citans Innoc. *in idem. c. num. 1.* & *gl. v. examinari.* aut ne Archidiacono non valente talem à se perperam praesentatum alere, haec obligatio cadat in Episcopum ordinantem, utpote qui Archidiacono attendere debeat, & curam gerere, ut non nisi digni promoveantur. Laym. *loc. cit.*

4. Respond. quartò: Nihil tamen obstat, quò minus Episcopus alios praeter Archidiaconum ad examen illud, quod ferè de scientia ordinandorum instituitur, examinatores, quotquot, ad-

scilicet

scillere possit, ita ut votum Archidiaconi tunc sit singulare; siquidem id pendet ab Episcopi arbitrio, quod in hac parte ei limitatum non est à Concilio. Pignat. *loc. cit. num. 4.* Quin etiam nil verere videtur, quod minus, etsi Archidiaconus habeat à jure, ut possit ordinandos examinare (quod tamen maximè intelligitur de examine illo seu indagine, quam facere tenetur Archidiaconus in vitam & mores, ut videre est apud Pignat. *loc. cit. num. 9.*) Episcopus præterito Archidiacono id facere possit per seipsum, vel etiam per alium à se designatum (præsertim accedente consuetudine) Pignat. *loc. cit. num. 5.* ex Abb. *in c. ad hæc.* etsi ipse videatur in oppositam Innocentii in *idem c.* doctrinam inclinare.

3. Respond. quinto: oblationem illam seu præsentationem ordinandorum ab Archidiacono faciendam Episcopo duplicem ex Host. *in cit. c. unic. de scrutin.* assignat Pignat. *loc. cit. num. 10. juncto num. 13.* unam, quæ sequitur examen illud seu inquisitionem Archidiaconi, & antecedit examen alterum episcopale; & hæc est illa præsentatio, quam jura in citatis textibus *c. ad hæc.* & *c. nostrum.* competere volunt Archidiacono, ut nimirum ab ipso Archidiacono ordinandi debeant præsentari examini Episcopali. Alteram, quæ fit palam in ipsa ordinatione, juxta quod in pontificali Romano præscribitur Archidiacono, ut tam Subdiaconos ad Diaconatum, quam Diaconos ad presbyterium promovendos præsentet Episcopo ordinanti hac formula: *postulat sancta mater Ecclesia &c.* in quo officio, seu in qua præsentatione faciendâ sæpe contingit supplere alium, qui Archidiaconus non est; & quis sit justus illius modò in Ecclesia, & quis fuerit olim, vide apud Pignat. *loc. cit. num. 11. & 12.*

Quæst. 660. An, & qualiter Archidiaconus, ubi non examinavit, seu non inquisivit in idoneitatem & sufficientiam ordinandorum, nec examini interfuit, sive de sibi ignotis adhuc testari possit Episcopo, illos dignos esse, qui promoveantur ad Ordines?

1. Respond. primò: dum Archidiaconus episcopali examini non interfuit, vel etiam alterius, non solum Archidiaconatus, sed & diæcesis, cum literis tamen dimissoriis & testimoniis offeruntur, quorum nec mores, nec vitam, nec doctrinam compertam habet, adhuc is aliusve præsentator turâ conscientia testari potest de eorum moribus ac doctrina, nixus nimirum aliorum fide dignorum de iis testimonio, & rectè respondere, se æstimare illos idoneos & dignos, qui ordinentur, dum aliunde illi nullus eorum defectus aut impedimentum constat. Laym. *in c. ex parte. de scrutinio in ordin. faciend. num. 2.* qui etiam *num. 1.* præmiserat per modum notandi, testes deponentes de alicujus innocentia, probitate, idoneitate ad officium, beneficium, Ordinem, testari potius de credulitate sua, quàm de veritate, id est, verisimiliter credere seu existimare se hominem probum & dignum esse, quamvis absolute loquendo propter humanam fragilitatem decipi aut errare possint; citatque pro hoc seipsum *Theol. mor. l. 4. tract. 2.*

c. 4. num. 4. Item Pignat. *cit. consult. 181. num. 14. & 16.* ubi; quod deposita omni anxietate & scrupulo eorum etiam, quos ignorat, probitatis publicus testis assistere queat, excutiens peccandi timorem generali illa Ecclesie consuetudine, ac pia illa præsumptione & probabili Episcoporum suos ad ordinationem dimittentium & Examinatorum, suo, ut creditur, misere factorum diligentia ac studio, fidèq; securus. Et quia, qui judicio Episcopi admissus, publico testimonio bonus esse & idoneus præsumi debet; cum, & pro judicio Principis semper præsumendum sit, idoneusque ille credendus, qui publica Judicis autoritate sulcitur. Quin &, quos istiusmodi publico testimonio ornatos novimus, non solum dignos æstimare debemus; sed & profiteri possumus, nos scire sufficientiam illorum, & testari eam nobis perspectam. Unde, cum Archidiacono constare debeat, ordinandos omnes publico prius examine (intellige ab Episcopo dimittente vel ordinante, aut designatis ab eo Examinatoribus) probatos esse, quàm in ordinandorum Catalogum referrentur, tunc dein (nempe in præsentatione illa, quæ fit palam in ipsa Ordinum collatione) dicere potest, scire se & testari eos dignos, saltem quantum humana patitur fragilitas. Et hæc juxta doctrinam Innoc. *in cit. c. unic. de scrutin. in ordin. fac.*

2. Respond. secundò: si verò presentandus ad Ordines ignotus est Archidiacono, nullòquæ istiusmodi judicio publico aut testimonialibus instructus, nullatenus de eo, quod dignus & sufficiens ad Ordines esset, testari valeret. Ad istiusmodi enim testificationem requiritur, ut testis habeat probabilia saltem & bene examinata indicia, quæ prudentem existimationem gignant de personæ innocentia, probitate & idoneitate, ac proinde in eo casu Archidiaconus prudenter dubiis manere deberet, bonisque an malus, dignus an indignus esset, de cujus promotione agitur. Laym. *loc. cit.* citans seipsum *Theol. mor. l. 3. tit. 3. p. 2. c. 2. assert. 4.* Et sanè in præsentati non licet unice præsumptioni illi, quæ quis præsumendus est bonus ac probus, quamdiu non constat aut probatur contrarium. Præterquam enim, quod id in qualitatibus physicis extrinsecis & ascititiis, quales sunt titulus, ætas, scientia, legitimitas &c. ut patet, locum non habeat, dum ea non præsumuntur inesse alicui, sed positivè egeant probatione. Laym. *in c. postquam. de elect. num. 5.* Passerin. *de elect. c. 33. n. 86.* Pirh. *ad tit. de elect. num. 318.* Qualitates etiam illæ intrinsecæ (quæ unde sic dicantur, dixi in *For. benef. p. 2. q. 482. num. 4.*) puta quod quis sit castus, sobrius, pacificus &c. Quod præsumendæ sint inesse alicui, habendusque sit pro viro bono & integro, quamdiu non est, quod præsumptionem contrariam inducat, id inquam intelligendum quod ad privatum cujusque judicium, dum nimirum nihil illi est negotii cum tali; adeoque nec tunc in vitam illius inquirere oportet, nec in sinistram partem interpretari, quod dubium est. D. Thom. *2. 2. q. 60. a. 4. in corp.* Secus tamen est in judiciis publicis aut testimoniis dandis (maximè dum agitur de promovendo alicquem ad officia & munia ecclesiastica, Ordines &c.) ita ut tunc bonitas illa intrinseca non præsumatur, nec suffi-

sufficiat illa negativa notitia ex eo surgens, quod nemo praesumatur malus. Ac ita in eo casu dubio in utramque partem, ita ut non adsint iudicia majora pro hominis probitate seu bona qualitate in oppositum, testimonium legitimum dari non potest pro illius probitate & habilitate, cum tale testimonium periculo errandi & falso iudicandi expositum, & in praesente casu error sit practicus Ecclesiae valde nocivus; cuius contrarium est, dum in iudicio privato habendo aliquem pro bono, quamdiu de contrario non constat, error sit speculativus. Laym. Pirh. ll. cit. Verum esto jam posset Archidiaconus vel quilibet alius generali illa suffultus praesumptione absque mendacio aliquem dignum officio sacerdotali vel diaconali respondere, quem non temere accedere ad hoc officium praesumeret, quamvis de ejus dignitate vel indignitate nihil resciret: At vix videtur a mendacio excusari, si responderet, se scire & testificari eam dignum; cum his verbis amplius aliquid asserat, quam si simpliciter responderet, eum dignum esse; nam non tantum dignitatem illius, quam praesumit, affirmat; sed asserit quoque sibi inesse scientiam de illius dignitate, quam scientiam non habet, & legitimum se testem jactat ejus idoneitatis, quam ignorat. Pignat. loc. cit. n. 15. Ad haec quorsum Archidiaconus ab Episcopo de ordinandorum dignitate consultatur? quorsum ejus testimonium inquiritur, si ejus tota iustificatio in generali illa praesumptione fundetur.

Quaestio 661. Quid faciendum Archidiacono, dum novit defectum ordinandi (idem est de Parocho sciente impedimentum occultum contracturi matrimonium) quominus Ordines suscipere valeat?

Respond. Si per secretam admonitionem se aliquid profecturum arbitratur, tenetur illam praemittere ad dimovendum illum a susceptione Ordinis; si vero se nihil profecturum arbitratur, tenetur ad Superiorem deferre, ut is impediatur. Laym. ad cit. c. unic. de scrutin. num. 3. Si tamen nec delatione ad Superiorem se quicquam profecturum praveat, eo quod noverit fidem sibi non habendam, monet Laym. loc. cit. num. 4. debere illum dare operam, si sine suspicionem aut infamationem possit, ut officium illud praesentandi ea vice declinet; si autem illud declinare nequeat, dicat verba illa, quae juxta praescriptum pontificalis Romani dici solent. Neque enim tunc mentietur aut contra conscientiam loquetur; cum ea verba proferat ut persona publica, seu in persona Ecclesiae, quo sensu verum dicit, si defectus occultus mansit, & in praecedente examine aut inquisitione non fuit proditus. Ita docere ait Innoc. Jo-And.

Butt. in cit. c. unic. de scrutin.



Quaestio 662. Quodnam de cetero sit officium Archidiaconi?

Respondeo primò in genere: Archidiaconi uti potestas ita & officium neque olim, neque modò est idem in omnibus ecclesiis. Unde si cognoscere velimus Archidiaconi officium, potius inspicienda cujusque ecclesiae consuetudo, aut statutum tanquam jura scripta. Laym. ad c. 1. de off. Archid. num. 2. ex Innoc. ibid. & Sylv. v. Archidiacon. num. 1. Sic in quibusdam ecclesiis Archidiaconus nullus est. Laym. loc. cit. Pignat. tom. 4. consult. 181. num. 11. ubi; omnium ecclesiarum non sunt Archidiaconi, ut innuit Gl. in c. ad hac, de off. Archid. v. examinentur; & sic testatur Pignat. nullum in Ecclesia Romana esse Archidiaconum, etsi fuerit olim. Atque ita officium Archidiaconi, quod describitur in rit. de off. Archid. praestat alius, v. g. Archipresbyter, Decanus, Vicarius generalis Episcopi. Laym. loc. cit. uti in Ecclesia Romana officium de cetero proprium Archidiaconi ordinandos praesentandi a primo Diaconorum exerceri consuevisse, testatur Pignat. loc. cit. In quibusdam vero ecclesiis est quidem Archidiaconus, sed administrationem nullam habet aut jurisdictionem, sed solum praesentiam inter Canonicos. Laym. loc. cit. Lotter. l. 3. q. 7. num. 36. ubi: contingere potest, ut ex singulari jure aliquo Archidiaconus non sit oculus Episcopi, id est, nullum officium aut jurisdictionem obtineat, sed ventosa sit Dignitas; Quin & ut habet num. 40. ut officium hujusmodi cum omni ejus praerogativa jurisdictionis transfusum sit in aliam personam Capituli. Sic etiam in aliquibus ecclesiis non est nisi unus, in aliis sunt plures 6. ad 7. Archidiaconi. Azor. Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 14. q. 7. Qui id ea factum occasione arbitratur, quòd olim Episcopi ex Diaconis duos, tres aut plures antiquiores constituebant pro suarum ecclesiarum seu diacesium vastitate, ut vel sic iis melius provideretur earum in plures partes divisarum gubernatione plurium curae commissa.

2. Respond. secundò: in primitiva Ecclesia officium Archidiaconi erat tum Diaconis & hypodiaconis omnibus imperare, eòque ad altaris ministerium instruere; tum verò bona ecclesiastica administrare & dispensare, uti posterius colligitur ex Act. 6. Laym. loc. cit. num. 1. Erat quoque olim Archidiaconi munus Episcopo proximè assistere in sacrificio eumque ubique comitari. Laym. ibid. De cetero illius, in quantum est Episcopi Vicarius ejusdemque oculus dicitur, munia & partes exprimuntur c. 1. de off. Archid. ubi: Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium ejus in omnibus, & omnem curam in Clero tam in urbe positurum, quam eorum, qui per parochias habitare noscuntur ad se pertinere, sive de eorum conversatione & restauratione ecclesiarum, sive doctrina ecclesiastica & ceterarum rerum studio & delinquentium rationem coram Deo redditurus est, & ut de tertio in tertium annum, si Episcopus non potest, parochiam universam circumeat, & cuncta, quae emendatione egent, vice sui Episcopi corrigat & emendet &c. c. officium, de off. Archid. dicitur proprium ejus munus esse cum Episcopo sacris operari, Diaconos aliosque ministros inferiores ad altaris ministerium

sterium instruere, Evangelium cantare, si voluerit, aut si noluerit, mandare, quis aliorum id facere debeat, & similia alia huc spectantia dirigere. Vide Azor. *loc. cit.* q. 2. Cap. ea quæ de off. Archid. demandatur ei custodia rerum ecclesiasticarum, episcopusque muneris esse dicitur, vasa divinis ecclesiæ usibus dicata sedulo custodire. Azor. *loc. cit.* Cap. ut nostrum. c. ad hæc. de off. Archid. ad officium Archidiaconi spectare dicitur, ordinandos examinare, & præsentare Episcopo. Prælatos in sede locare, sive in corporalem possessionem mittere. Item eodem cap. ei committitur audire singulorum presbyterorum causas & jurgia. Cap. prælectis. dist. 24. dicitur ad illum spectare, pecuniam Ecclesiæ pietatis causâ datam accipere, & Episcopo reddere; Diaconorum delicta ad Episcopum deferre; monere presbyteros de temporibus instantium festorum & jejuniorum. Azor. *loc. cit.* Vide etiam Fagn. in c. ad hæc. num. 6. ubi quod hæc & similia spectantia ad officium Archidiaconi diligenter recensentur à Jo. And. in c. officium. Sylv. v. Archid. Abb. & But. in c. ad hæc. sub initium enumerat & ipse eorum plura. n. 24. Addit etiam Fagn. *loc. cit.* num. 6. officium proinde Archidiaconi ad duo ferè capita reduci; nempe ad ea, quæ ei competant tanquam Principi Diaconorum Cathedralis, & ea, quæ sunt jurisdictionis; illa enim ei competere eâ ratione, quâ Caput Diaconorum constituitur: hæc verò ei tributa esse à jure, ut Episcopus facilius vacare possit his, quæ sunt Ordinis & autoritatis episcopalis, à quibus Archidiaconus excluditur. Jam verò de his ferè omnibus exactius vel jam actum in præcedentibus, ubi de potestate Archidiaconi; aut agerit in sequentibus. Porro in quibus officium Archidiaconi ab officio Vicarii generalis Episcopi, uti & ab officio Archipresbyteri differat, satis indicatum sub initium hujus Tract.

Questio 663. An Archidiaconus officium suum exercere possit, v. g. examinare ordinandos, visitare & pleraque agere, quæ habentur in c. 1. & c. ad hæc. de off. Archid. contra prohibitionem Episcopi, seu prohibitus ab Episcopo ea exercere.

1. Respond. Non convenire in hoc AA. Negativam, nempe posse Episcopum Archidiacono, uti & Archipresbytero prohibere, ne muneribus sibi per Canones attributis fungantur, & stante hac prohibitione, eorum nihil eum posse, tenent, de Archidiacono quidem post But. Abb. in c. officium de off. Archid. num. 5. de Archipresbytero Hostiens. in sum. tit. de off. Archiep. §. quæ pertinent. apud Fagn. in c. ad hæc. num. 3. & in c. litera. de matrim. contra. contra interd. Eccles. num. 22. eâ vixi ratione, quod in his sint Vicarii Episcopi.

2. Contrarium, nempe Archidiaconum & similes ideo dici Vicarios Episcopi; quia exercent ea, quæ etiam ad Episcopum pertinent; non esse tamen tantum Vicarios, sed certâ dignitate potiri; adeo ut propterea removeri non possint ad libitum Episcopi, nec ipso pro suo velle illorum officia exercere, tenent Innoc. in c. 1. de off. Archid. num. 1. Jo. And. *ibid.* num. 4. Anchar. n. 3. Archid. in c. prælectis. d. 25. Quin & But. & Abb.

in *cit.* c. 1. apud Fagn. *cit. num.* 31. Quam sententiam Innocenti teneri communiter à Canonistis, & vide: i sibi veriore, asserit Fagn. *loc. cit.* num. 32. ubi de suo quoque eam confirmat: nempe quod Archidiaconus sit Vicarius non ab Episcopo assumptus, sed datus à jure, & sic non amovibilis habeat Vicariam perpetuam suæ dignitati annexam ex privilegio Canonis, quod in totum vel in partem à quoquam Pontificum (intelligit eo nomine Episcopos) convelli vel mutari non potest, ut est textus in c. institutionis. 25. q. 2. cui, ut Archid. in c. licet Canon. de elect. in 6. num. 3. non potest responderi.

Questio 664. Quid muneris sit Archidiacono circa institutionem corporalem seu missionem in possessionem?

1. Resp. primò: Ad Archidiaconum spectat, Prælatos (intelligit electos & confirmatos) in sede locare. Pignat. tom. 4. cons. 183. num. 14. sic de jure communi spectat ad Archidiaconum collocare Abbates & Abbatissas in sua sede. Fagn. in c. ad hæc. de off. Archid. num. 22. Barbof. *lur. eccles.* l. 1. c. 24. num. 25. juxta c. ut nostrum. de off. Archid.

2. Resp. secundò: De jure communi spectat ad Archidiaconum, Clericos provisos seu institutos ab Episcopo (idem est de institutis aut provisis ab aliis inferioribus) mittere in corporalem possessionem beneficiorum. Fagn. *loc. cit.* Zerol. in pr. Episc. v. Archidiaconus. Paris. de resign. l. 10. q. 6. num. 32. & expressius l. 8. q. 9. num. 57. Barbof. *loc. cit.* num. 32. citans Per. Gregor. *synagm. juris.* l. 15. c. 20. n. 6. Covar. l. 3. var. c. 16. n. 7. &c. juxta *cit. c. ut nostrum.* ubi in quadam dicitur, institutionem corporalem tam super beneficiis, quam dignitatibus debere ad Archidiaconum pertinere. Nec obstat, quod in c. licet Episcopus. de præb. in 6. dicitur, ad Episcopum spectare missionem in beneficiorum possessionem; quia id intelligi potest, non quidem de ipsa missione in corporalem possessionem, sed de sententia seu decreto, quo Episcopus pronunciat seu decernit, institutum mittendum in possessionem. Barbof. *loc. cit.* vel potest intelligi, ut procedat de consuetudine, quâ id spectat hodie ad Episcopum. Barbof. *ibidem.* Quod si autem vi citati *licet Episcopus.* id de jure spectaret ad Episcopos, ut volunt aliqui apud Paris. *loc. cit.* num. 33. dicendum foret, per dictum c. licet Episcopus, utpote posterius derogatum cap. ut nostrum. tanquam priori.

3. Resp. tertio: Tametsi autem de jure spectaret aut spectasset aliquando ad Archidiaconum, potest nihilominus id ipsum ex consuetudine particulari hic & nunc spectare ad Episcopos, Vicarios, aliisque Ordinarios, prout illud hodie de consuetudine spectare ad Episcopos, Vicarios aliisque Ordinarios affirmat Paris. *cit. n.* 33. citans Covar. & l. 8. q. 9. n. 58. ubi: quamvis id (nempe emittere in possessionem) de jure spectet ad Archidiaconum. c. ad hæc. de off. Archid. tamen generalis consuetudo hoc extendit etiam ad alios; pro quo citat Rebuff. in pr. tit. de miss. in possess. Selv. de benef. p. 3. q. 15. Quemadmodum è contra, si illud spectaret de jure ad Episcopos, nihil vetaret, quod minus hic & nunc sive in quibusdam locis

facis id spectet privatè ad Archidiaconum, uti simile quid habes in facultate conferendi.

Questio 665. Quodnam sit officium Archidiaconi quò ad Chorum?

Resp. primò in genere: in choro habere Archidiaconum primam Dignitatem post pontificalem; aliisque ibidem superiorem & majorem haberi; pronunciat Barbof. *lur. eccl'es. l. i. c. 24. num. 20.* spectare ad eum ratione proprii muneris in absentia Episcopi ejusque Vicarii regimèn chori, sit Pignat. *tom. 4. conf. 183. n. 1.* Dátque ipsè ordinem gereñdorum in choro. Pignat. *loc. cit. num. 2.* citans Barbof. *de Can. & Dignit. c. 5. num. 20.* Grammat. *decis. 24. num. 7.* & Rotam apud Pur. *decis. 8. num. 3. l. 3.*

2. Resp. secundò in specie: ad illum permanentem in choro spectat in principio Matutini, Horarum Canonicarum & Vesperarum intinrare *Pater noster.* Item hoc recitato; dare manu signum, ut incipiatur: *Domine labia.* vel *Deus in adiutorium.* Item ad primam dicere: *Dies & alius nostrorum &c. Adjuutorium nostrum &c. Deus nos benedicat &c. ad Completorium: Noctem quietam &c. Benedicat & custodiat &c. & in fine Horarum & Matutini: Dominus det nobis &c. & atequam signum per ipsum datur, nemo expleto officio è choro egredi debet. Barbof. *cit. c. 24. num. 20.* restans sic statuiffe S. Congr. Card. præpos. negot. Episc. & Regular. *in Theatina sub die 18. April. 1617.* Pignat. *cit. conf. 183. num. 3. & num. 2.* ubi, quòd Archidiaconus Cathedralis, ut prima dignitas post pontificalem, dum est in choro, recognosci debeat tanquam superior & major, & ad ipsum spectent nuntus & versiculi superiores, & officio finito dare signum egressus à choro, & licentiam exeundi atequam sit finitum &c. Declaratum sit in dicta *Theatina.* sic *c. officium. de off. Archid.* dicitur, ipsum omne officium ecclesiasticum providendo Lectiones & Responsorium in matrice ecclesia dare debere & auscultare, in tantum, ut nullus Evangelium aut Epistolam, responsorium vel quamlibet in ecclesia Lectionem legat & canter, donec ab illo auscultetur. Verumtamen, cum sæpius inter Archidiaconum & Primicerium seu Cantorem excitata fuerit controversia super officium dirigendi chorum; teste Pignat. *tom. 4. conf. 27. à num. 1.* nonnunquam in favorem Cantoris rescriptit S. Congreg. Rituum, ut videre est apud eundem in *Cassanensi. s. Martii 1633.* ubi: Cantoris dignitatis in Cathedrali munus est, distribuere Lectiones, Antiphonas & prophetias, chorum regere & gubernare, ordinare tabellas & functiones ecclesiasticas per turnum ordine successivo; nec non dicere potest, quòd & quæ ducendæ dirigendæ processiones, &c. Quandoque è contrà in favorem Archidiaconi declarasse visa est eadem S. Congregatio, ut videre est apud Pignat. *loc. cit. num. 1. & seq.* ubi Archidiaconus opponens se dictæ Ecclesiæ Cantori exercenti ista munia, juxta præscriptum illud S. Congr. aliam attulit de 17. Sept. ejusdem anni in favorem sui emanatam declarationem, in qua statuitur primò, Capitulares de choro exire volentes ab Archidiacono primà dignitate, si præfens est, veniam petere debere. Secundò tabellam, in qua describi debent illi, per quos exercendæ sunt functiones ecclesiasticæ per turnum, ad Archidia-*

conum spectare, præscribere & ordinare: Cantoris autem munus esse chorum regere, juxta præscriptum in tabella. Tertio ad Archidiaconum spectare, pro inchoando divino officio & pro discessu à choro &c. dare signum. Quas tamen S. Congregationis declarationes hac ratione conciliare nititur Pignat. *loc. cit. n. 7.* Quòd præter functiones, quæ in prima illa S. Congreg. declaratione speciatim in favorem Primicerii sunt expressæ, aliæ supersint, de quibus favore Archidiaconi potuit S. Congr. intelligere; nempe nominare sacerdotes, qui debeant celebrare & canere Missam, item Diaconos & Subdiaconos, & alia facere, quæ spectant ad altare; non autem ad cantum & chorum, cujus directio nedum est reservata Cantori in prima declaratione, sed & in secunda, licet hæc emanarit instante Archidiacono. & hæc quidem, ut ait Pignat. *num. 8.* conformiter dispositioni juris communis in *c. prælati. d. 25.* in quo exprimuntur omnia munia Primicerii à munitis & officio Archidiaconi distincta juxta redorem primæ declarationis ante relatæ. Videtur nihilominus quòd ad hæc quoque deferendum consuetudini; præsertim immemoriali ecclesiarum particularium; constitutiones enim & consuetudines per diversa loca prævalent in officiis. Fagn. *in c. ad hac. de off. Archid. n. 13.* ex Innoc. & juxta *c. cum olim. de consuetud.* Quamvis Pignat. *loc. cit. num. 9.* asserat, ad confundenda hæc munia Cantoris & Archidiaconi non sufficere, quòd eorum prædecessores sic concordarint, si concordia hæc confirmata non fuerit autoritate pontificia; eò quòd juxta Trid. *sess. 6. c. 4. Extrav. Arbitraria de rebus Eccl. non alien. & c. veniens. de transact.* Transactio inter personas ecclesiasticas nisi sit confirmata à Papâ speciatim ex certa scientia cum causa cognitione, non teneat (intelligitur quòd ad ligandos successores) & concordia non confirmata ex certa scientia à Tridento fuerint sublata; licet subjungat idem Pignat. quòd in materia præminentiarum concordia coram Ordinario facta à prædecessoribus liget successores, etiam sine beneplacito Apostolico, indicasse Rotam apud Seraph. *decis. 36. & in Consentin. præcedentia. 6. Jun. 1618. coram Dunozerro.*

Quest. 666. Quodnam sit officium Archidiaconi circa celebrationem Missarum solennium?

Resp. primò: præter ea, quæ hac de re dicta sunt supra ad Archidiaconum spectare omnia, quæ ad divinorum celebrationem (inter quæ videtur præcipuum celebratio Missarum: pertinent, ait Pignat. *cit. conf. 27. n. 6.* citans Gl. & DD. communiter in *c. 2. de off. Archid.* Nihilominus Archipresbyterum debere providere cuncta, quæ in Sacerdotum ministerio sunt præstanda, dicitur *c. ministerium. de off. Archid.* juxta quæ Host. in *sum. de off. Archip. s. qua pertinent.* ait, Archipresbyterum debere providere ministerium presbyterorum Cardinalium, id est, ecclesiam Regentium, sic dictorum à cardine, quo ostium sustentatur, ut idem Host. cumque dicta decretalis ministerium aperte concedat Archipresbytero, ut provideat cuncta præstanda in ministerio Sacerdotum, exceptis istis, quæ sunt prohibita, quæ omnia sunt Ordinis Episcopalis; & exceptio firmet Regulam in casibus non exceptis, sequitur in omnibus, quæ ad Sacerdotum ministerium spectant, & non sunt Ordinis Episcopalis (inter quæ utique est quoque celebra-

celebratio Missarum) Archipresbyterum esse præordinatorem, hæcque eum per se præstare debere aut aliis committere. Fagn. *in c. ad hæc. num. 11. & 12. Quin & c. 1. de off. Archip.* expressè & speciatim attribuitur Archipresbytero, ut Missarum solennia celebret. Unde jam celebrationem Missarum solennium absente Episcopo non spectare de jure ad Archidiaconum, sed ad Archipresbyterum, fusè defendit Fagn. *loc. cit. à num. 13. per plures num. seq. ubi: non ob stare, quòd Host. loc. cit. postquam explicaret jus Archipresbyteri quòd ad divinorum celebrationem, subdat; illud spectare principaliter ad Archidiaconum; & secundariò ad Archipresbyterum sub Archidiacono; eò quòd Host. non asserat id convenire Archidiacono de jure, sed de consuetudine, ubi nimirum sic habent diversæ ecclesia. Uti etiam textus c. officium. de off. Archid. maximè favens Archidiacono, & pugnare visum cum c. Ministerium. de off. Archip. loquitur de consuetudine, quæ ubi non est, non competit Archidiacono jus ordinandi officium ecclesiasticum. pro quo Fagn. citat Jo. And. *in c. ad hæc. dicentem, omnia, quæ in citata decretali ad hæc. de jure spectare ad Archidiaconum; cetera verò omnia, quæ continentur in cit. c. officium & reliquo rit. de off. Archid. procedere de consuetudine, quam nisi probet Archidiaconus, debeat succumbere: adeòque jam jus celebrandi divina competere Archipresbytero de jure; Archidiacono verò tantum, ubi est consuetudo. Item, ut Fagn. num. 16. non ob stare, quòd ad Archidiaconum spectent omnia sub Episcopo; cum sit illius Vicarius in omnibus; & ad Archipresbyterum omne sub Archidiacono; adeò, ut post Episcopum Archidiaconus omnibus præsit; eò quòd id optimè sic intelligi possit, ut dicta quidem ministeria spectent quidem de jure ad Archipresbyterum, & non ad Archidiaconum; Archipresbyter tamen, etiam cum illa præstat, subfit Archidiacono; adeò ut ab eo visitari & corrigi possit, & si in eis perperam quid aut inordinatè gesserit, coerceri, uti id de jure spectat ad Archidiaconum. Item, ut habet num. 17. non ob stare, si ex eo nudum Archipresbyterum in hæc debere cedere Archidiacono, quòd Archidiaconus hic & nunc sit presbyter, adeòque jam Ordine par Archipresbytero, & eo major administratione, ne alioquin ob susceptum ab Archidiacono sacerdotium, is jam posset Archipresbytero præripere ministeria omnia ad Archipresbyterum de jure spectantia, subvertatur totus titulus de off. Archipresbyteri; ac ita si, quæ jura miro ordine constituenta hæc duas dignitates ad relevandum Episcopum, assignando cuique sua propria munia, nihilque magis abhorrentia, quam unum occupare officia plurium. c. singula. dist. 29. dependerent à solius Archidiaconi voluntate, hic tot curis implicitus vix par illis esse posset. E contra Archipresbyter omni jure sibi adempto ludibrio omnibus esset. Ad hæc, ut habet Fagn. num. 19. & 20. quemadmodum ratio, cur Archipresbyter præsit presbyteris, & presbyteratus illis officis, non est Ordo presbyteratus, utpote in quòd ei æquales sunt ceteri presbyteri; sed quia id specialiter ejus dignitati à jure annexum; ita multò minùs Sacerdotium, ad quod**

promotus est Archidiaconus ratio esse potest; cur ea, quæ spectant hac in parte ad Archipresbyterum, sibi sumere possit Archidiaconus; quin potius dicendum, eum ratione hujus Ordinis tanquam unum ex presbyteris Cardinalibus, de quibus *cit. c. ministerium*, quo ad celebrationem divinorum subesse Archipresbytero ut presbyterorum capiti. Denique, quòd facit pro hac sententia, Archidiaconus per accidens est presbyter, utpote cujus dignitati tantum annexus est Ordo diaconatus; Archipresbyter verò per se est presbyter, & ejus dignitati per se annexus Presbyteratus; Ordines enim sacri non annexuntur personis sed dignitatibus, ut patet ex Trident. *sess. 22. c. 4.* proinde ex officio incumbit Archipresbytero celebratio Missarum, & nequaquam ille Ordo Archidiacono accidentaliter attendendus in illo in præjudicium Archipresbyteri, cui is est naturalis; neque ex inde sequitur, quòd Archidiaconus sit par Ordine Archipresbytero quòd ad hoc, ut in celebratione Missarum sit ei præferendus, Fagn. *numer. 20.* Uti & hoc confirmatur ex eo, quòd Canonici habentes Canonicatus Diaconales, licet sint presbyteri, Missam solennem non celebrent, sed inserviant in officio Diaconi. Quin & in Capella pontificia Cardinales Diaconi, licet in presbyteros ordinati, & habeant Archiepiscopatus, tamen non celebrent, sed assistant celebranti in officio Diaconi, & sedent ultimipost Cardinales presbyteros. Fagn. *num. 21.*

2. Eidem sententiæ iisdemque principiis in hæret Pignat. *Tom. 1. consult. 6.* ubi non tantum *num. 4.* ait, quòd ad Archidiaconum spectet munus celebrandi Missas solennes, quando Archipresbyter est impeditus (loquitur autem de Ecclesia, in qua de consuetudine Archipresbyteratus est prima dignitas sacerdotalis, & Archidiaconatus dignitas tertia Diaconalis) sed & *num. 10.* censet, functiones pontificales & Missas solennes celebrare spectare potius ad Primicerium, tamen si Primicerius in ea ecclesia non esset, nisi dignitas quarta sacerdotalis, innixus, ut ait, generali regulæ, quæ nimirum in hac materia potissimum attendenda est distinctio Ordinum juxta *c. statuimus. de major. & obed. & ibi DD.* passim. Adeòque cum Archidiaconatus sit dignitas Diaconalis, non potest nec debet exercere munia, quæ spectant ad dignitatem vel præbendam sacerdotalem; nec exinde, quòd Archidiaconus pro libitu suscipiat Presbyterium, possit exercere, quæ sunt destinata dignitatibus & præbendis sacerdotalibus; eò quòd qualitas superinducta non sit habenda in consideratione in ordine ad has functiones, in quibus attenditur dignitas, cui per se & ex statuto inest talis Ordo. Neque incongruum sit, unam eandemque personam ob varios respectus censeri diverso jure, & sic unum in uno casu esse majorem & digniorem alio, & in alio minùs dignum eodem. Pignat. *loc. cit. num. 12.* citans Decium *in c. sanè. de off. delegat. Tiraquel. de Nobilit. c. 10. num. 11. Menoch. conf. 902. num. 71. & seq.* Adeòque nec incongruum, minùs dignum, qualis est Archipresbyter, ratione administrationis respectu Archidiaconi, præferri in his functionibus magis digno juxta *c. Officium. de off. Archid. & Archip. Pignat. cit. nu. 12.* citans Nav. *Conf. 636.*

num. 1. Menoch. *conf.* 51. n. 56. &c. incongruum verò & non minus absurdum, Archidiaconum se ingerere in illis functionibus, quæ spectant ex instituto ad Ordinem sacerdotalem, quam Archipresbyterum vel Primicerium exercere ea, quæ propria sunt Ordini diaconali. Quia & ait Pigu. *loc. cit.* esse contra jus publicum consuetudinem illam, quæ dignitas diaconalis illa exercet, quæ sunt dignitatis sacerdotalis, pro ut citat Decium *conf.* 21. nu. 4. & *seq.* Abbas. *Conf.* 21. num. 1. & 5. præsertim cum sanctum sit non solum à jure communi, sed & statutario, ne hujusmodi consuetudo attendatur constituta dignitatum distinctione in Sacerdotales, Diaconales, Subdiaconales.

3. Verumtamen in contrarium est manifesta, & in hac materia singularis resolutio Rotæ in *Viterbiensi celebrationis Missarum* 11. Decemb. 1609. coram Card. Sacrato. Quam verbotenus recitatum vide apud Barbof. *de jur. eccles.* v. 24. num. 44. & est in impressis *decis.* 244. p. 3. recent. ubi resolvitur Archidiaconum, si Sacerdos est; in celebratione Missarum, Episcopo absente præferendum Archipresbytero. Diciturque id ipsum beneficium auctoritate (nimirum Host. in *cap. 1. de off. Archip.* quem sequuntur ibi Jo. And. Archid. Butr. Item Bero. *Conf.* 22. num. 31. l. 1. Tusch. v. *Archid. concl.* 482. num. 15.) & ratione, nempe quia Archidiaconus simpliciter loquendo est dignior & eminentior Archipresbytero, ideoque illum tam intra, quam extra ecclesiam præcedere debet, ut Barbat. *Conf.* 5. l. 2. per tot. Conveniens verò sit majestati SS. Sacramenti & decentiæ ecclesiæ, ut per digniorem celebretur, nisi aliàs obstat defectus Ordinum. Diluuntur quoque, quæ in contrarium asseruntur, nempe quòd hoc munus specialiter demandatum Archipresbytero. *c. 1. de off. Archip.* non enim propterea prohibeatur Archidiacono, si ex aliis juris Regulis potest ad illum spectare; cum novum non sit in jure, idem officium competere pluribus, ordinativè tamen ita ut unus alteri præferatur, ut in terminis celebrationis Missarum Bero. *loc. cit.* n. 23. Item alterum, quòd celebratio Missarum sit ex iis, quæ spectant ad Ordines, in iis verò Archipresbyter sit major Archidiacono, & Sacerdotium per se sit annexum Presbyteratu. Præterquam enim dum Archidiaconus est Sacerdos, eo major est Ordine Archipresbytero, Ordo sacerdotalis non inest dignitati, sed personæ, in cuius anima imprimitur Character, & licet una dignitas requirat personam majoris Ordinis quam altera, non tamen ideo dici possit propriè, quòd una dignitas sit Ordine sacro major altera; adeoque jam parum referat, quòd qualitas Sacerdotis sit accidentalis Archidiaconatui; eò quòd si considerentur solæ dignitates, nullo modo eis inest Ordo sacer; si autem attendantur personæ, utrique inest accidentaliter, unde jam in hoc sunt pares, illa debet præferri, quæ est ceteris est dignior. Ad quam decisionem Rotæ non aliud respondet Fagnanus *loc. cit.* num. 21. quàm: certè obstant jura & fundamenta superioris ponderata. Huic quoque sententiæ & decisionem Rotæ inhæret Lotter. *L. 1. g. 16. à n. 144.* ubi: in divinis Archidiacono videtur præferri Archipresbyter. Quod tamen provenit ex mera contingentia; quia Archidiaconus non sit presbyter; si enim initiatus sit sacro Presbyte-

ratu Ordine, & velit ipse celebrare, nihil est, quin etiam in divinis, ipsaque Missæ celebratione is præferri debeat, ut docuit Host. Bero &c. & probavit Rora in *Viterbiensi*. Licet, ut addit Lotter. *nu. 116. & seq.* in hac re semper prævaleat consuetudo, ut Host. *loc. cit.* Ruin. *conf.* 156. num. 4. l. 4. Seraph. *decis.* 716. num. 1. quantumcunque repugnet juri communi, ut idem Seraph. *decis.* 335. num. 3. & *decis.* 964. num. 1. modò non ita repugnet, ut sonet in meram corruptelam, ut Abb. *conf.* 155. num. 11. l. 4.

4. In specie verò ad funera Magnatum impedito Episcopo, vel etiam Sede vacante, Missam solennem celebrare spectare ad Archidiaconum tanquam primam dignitatem, & eo impedito ad secundam dignitatem, & sic gradatim ad alias dignitates; eò quòd dignitates illæ præferantur omnibus aliis, etiam Vicario Capitulari in his, quæ spectant ad exercitium Ordinis, tradit Pignat. *Tom. 4. conf.* 183. num. 9.

Quæstio 667. Quòdnam sit Officium Archidiaconi in assistendo & ministrando Episcopo.

RESP. ad officium Archidiaconi spectat, Episcopo ministrare, ut censuit S. Congreg. Rituum in *una Pisauriens.* 10. Jun. 1600. Barbof. *jur. eccles.* l. 1. c. 24. num. 18. & Episcopo solenniter celebrato, S. Evangelium, si voluerit, legere. Barbof. *ibid.* Sic in ipsa Ordinatione, & in consecratione chrysmatis & aliis similibus ministrare debet. Barbof. *loc. cit.* num. 22. in fine, citans *c. Acolytus. c. Ostiarius. dist. 23.* Item Episcopo solenniter celebranti, vel Missam solennem & Vesperas audienti à dexteris assistere debet. Barbof. *loc. cit.* num. 23. citans Castald. in *pr. cerem.* l. 1. sect. 8. c. 7. num. 3. Sic debere illum exercere officium presbyteri assistentis cum pluviali Episcopo solenniter celebranti juxta plures S. Congreg. Rituum responsiones, ait Pignat. *Tom. 4. conf.* 183. num. 7. Barbof. *loc. cit.* num. 50. ubi etiam, quòd debeat Episcopo candelam & palmam benedictam ministrare, si sit in sacerdotali Ordine, ut Congreg. Rituum in *Reatina.* 10. Jan. 1609. & ex quo Archidiaconus debet exercere officium presbyteri assistentis, etiam debere illum assistere Episcopo prædicanti, *ceremoniale.* l. 2. c. 8. disponente de Missa solenni Episcopo celebrante, quòd Episcopo prædicante ad ejus dexteram sedere debeat presbyter ille assistens, & sic ille idem assistens celebrationi Missæ. Pignat. *loc. cit.* num. 10. Verùm quòd ad assistentiam illam, quæ in officio presbyteri assistit Episcopo solenniter celebranti supponunt AA. Archidiaconatum esse primam dignitatem; & ubi talis non est, non competere id Archidiacono, sed primæ dignitati. Sic enim expressè Barbof. *loc. cit.* num. 50. Archidiaconus, si sit prima dignitas, debet exercere officium presbyteri assistentis &c. Pignat. *loc. cit.* n. 7. Archidiaconus prima dignitas, debet exercere officium presbyteri assistentis Episcopo pontificaliter celebranti; & illa assistentia semper facienda est à prima dignitate, quocumque nomine nuncupetur. Unde absente aut impedito Archidiacono, ea procul dubio pertinet gradatim ad alias dignitates, & demum ad Canonicos, ut S. Cong.

S. Congr. Rituum apud Barbof. *collectan.* 57. num. 20. & *collect.* 253. num. 6. & 14. Porro Archidiaconum recusantem illam assistentiam, cogendum poenis & censuris habet S. Cong. in una *Brixienf.* 28. *Maji* 1616. apud Barbof. *cit. num.* 50. Dum verò est in assistentia Episcopi, intelligitur esse præsens in choro tam in Cathedrali quàm in alia. Barbof. *ibidem* juxta S. Cong. in *Camerienf.* 15. *Marci* 1608. Denique Archidiaconum, qui sustinet baculum Episcopi solenniter celebrantis, thurificandum immediatè post Diaconos assistentes, et si ipse sit primus Diaconus, censuit S. Cong. Rituum in *Bracharenf.* 28. *April.* 1607. & 29. *Jan.* 1608. teste Barb. *loc. cit. num.* 52.

Questio 668. Quod sit Officium Archidiaconi circa custodiendas res sacras?

R Esp. primò in genere, Archidiacono rerum ecclesiasticarum custodiam præcipuè commissam esse; ideòque, si quid per culpam vel fraudem cujuscumque perierit, ab eo repetendum ait Laym. *ad e. ea qua. de off. Archid.* ubi expressè dicitur: *Scire à te volumus, quod à te districte quaesituri sumus, quia vel propria ecclesia, vel ea qua de diversis ecclesiis cimelia sunt collecta, non sub omni sollicitudine & fide servantur: quod si quid ex iis vel negligentia, vel cujuscumque fraude depertit, tu hoc reatu astringeris, qui per Archidiaconatus ordinem custodia ejusdem ecclesia arctius deputaris &c.* circa quæ illud notat Laym. *loc. cit.* supremum rerum ecclesiæ custodem teneri non tantum ex culpa propria, lata aut levi; sed etiam si ex culpa aut dolo inferiorum. v. g. sacrilæ aliquid perierit: id verò intelligendum, si ipse superior negligentia argui possit, quod inferioribus non attendere; quamvis prius obligetur inferior, qui perdidit aut destruxit, & in defectum illius superior, cui ex officio incumberebat impedire. Citat seipsum pro hoc *Theol. mor. tract.* 2. c. 6. num. 2.

2. Resp. secundò in specie pertinebat ad illum, pecuniam ecclesiæ causâ pietatis donatam accipere, & Episcopo deferre Azor. *Inst. mor.* l. 3. c. 14. q. 2. Item pertinet ad eundem vasa divinis ecclesiæ usibus dicata sedulo custodire. Azor. *loc. cit.* Barbof. *Jur. eccl.* l. 3. c. 24. n. 24. Custodiam quoque Eucharistiæ spectare ad Archidiaconum, & non ad Archipresbyterum satis indicat Fagn. *in c. ad hæc. de off. Archid.* num. 21. in fine. ubi ex *Deo conf.* 420. num. 4. dicit, Eucharistiæ custodiam separatam esse ab iis, quæ per Canones mandatur Archipresbytero.

Questio 669. An, & quid Officii sit Archidiacono circa convocationem Capituli?

R Espondet Fagnanus *ad cap. ut Abbates. de atat. & qual.* num. 29. esse Archidiaconum caput Capituli. pro quo citat Butr. *in c. dilecti. de major. & obed.* num. 2. & hinc ad illum tanquam majorem spectare, convocare Capitulum. pro quo citat Hoff. *in c. 1. de major. & obed.* num. 2. Jo-And. num. 5. Bellæm. num. 4. Butr. num. 10. Quin & ait. nu. 28. Quòd si Archidiaconus renueret convocare Capitulum, cogi possit ad hoc ab Ordinario. Verum rectè subjungit ex Abb. *in c. auditio. de elect.* notab. 3. de consuetudine hoc jus convocandi Capitulum spectare ad Decanum, & sic passim

in Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ videmus fieri.

Questio 670. Qua ætas requiratur in Archidiacono?

R Esp. dum Archidiaconatus annexum habet curam animarum, requiri 24. annos ætatis completos, ait Laym. *in c. indecorum. de atat. & qual.* & citat *c. cum in cunctis. de elect. §. inferiora.* & Trid. *sess.* 24. c. 12. Requirit ad illum ætatem 25. annorum ait Barbof. *de jur. eccl.* c. 24. n. 10. Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 11. num.* 18. Neque per hoc disconveniunt hi AA. cum posteriores loquantur de 25. annis non completis, sed tractatis, seu de 25. annis inchoativè, uti & ipse Laym. *loc. cit.* num. 1. cum communi ait ad beneficium curatum qualecunque infra Episcopatum requiritur ætas 25. annorum cæptorum. Plus enim ad curata non requiritur incrementum, quàm ut quis annum 25. attigerit, & incepisse annum 25. est illum attigisse. Porro cum procedat idipsum in omni beneficio curato, etiam minùs strictè tali, seu habente solum jurisdictionem spiritualem fori externi Barbof. *ad cit. loc. Trid.* numer. 2. Lotter. *L. 2. q. 49. num.* 24. ego *for. benef. p. 1. q. 117. num.* 2. conveniet utique Archidiaconatui, dum is curam jurisdictionalem seu fori externi habet. Si verò est solum dignitas sine cura animarum, etiam jurisdictionali, more aliarum dignitatum non requirit, nisi annos 22. completos. Laym. Barbof. Tond. *loc. cit.* juxta Trid. *loc. cit.*

Questio 671. An & qualem S. Ordinem annexum habeat Archidiaconatus?

R Esp. Archidiaconatus in propria institutione requirit Sacrum Ordinem. Laym. *in c. cum in cunctis. de elect. §. inferiora.* num. 2. & quidem requirit necessario Diaconatum, sive qui Archidiaconatum obtinet, de jure ordinari debet Diaconus. Laym. *in c. ut Abbates. de atat. & qual.* Fagn. *in idem c. numer.* 12. Pignat. *Tom. 1. conf.* 6. num. 5. Non est tamen de sui natura seu de jure sacerdotalis Pignat. *loc. cit.* Fagn. *in c. ad hæc. de off. Archid.* num. 20. cum communi. In ecclesiis tamen, ubi est prima dignitas, requirit Ordinem Presbyteratus Fagn. *in c. ut Abbates. numer.* 13. ubi: quia in plerisque ecclesiis hæc dignitas est prima post pontificalem, pro ut esse de jure affirmat Bellam. *in c. 1. de off. Archid. in princip.* & ideo illius collatio per regulas est Sedi Apostolicæ reservata, in literis collationis ex stylo apponi consuevit clausula: ut provixus teneatur infra annum in presbyterum ordinari, alioquin Archidiaconatus eo ipso vacare censeatur.

Questio 672. An, & quo gradu insigniri debeat Archidiaconus?

R Esp. Archidiaconus debet esse Magister seu Doctor, aut Licentiatu in Theologia, vel in jure Canonico. Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 11. numer.* 16. Fagn. *in c. licet. de poenis. numer.* 2. Pignat. *Tom. 9. conf.* 114. nu. 42. Gonz. *ad reg. 8. gl. 4. num.* 68. (idem dicens magis præcisè disponi quòd ad Scholasteriam) Garc. *de benef. l. 7. c. 7. num.* 26. Barbof. *Jur. eccl.* l. 1. c. 24. num. 5. citans

quamplures alios juxta expressum textum Trid. sess. 24. c. 12. ubi: Archidiaconi, etiam qui oculi disuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, aut Licentiatum in Jure Canonico. Proinde jam non sufficit Doctoratus vel Licentiatum in Jure civili vel Medicina, Garc. loc. cit. num. 37. ex Navar. in Manual. c. 25. num. 135. Unde jam etiam, ut Barbof. loc. cit. stylus curia inharendo isti Decreto Concilii exigit in promovendo ad Archidiaconatum gradum Magisterii in Theologia, vel saltem in Jure Canonico; ita ut, dum porrigitur supplica pro Archidiaconatu hujusmodi obtinendo, ea aliter non signatur, quam si positivè narratum sit, Oratorem esse Magistrum in Theologia aut Doctorem in Jure Canonico vel Licentiatum: vel si talis non sit, non aliter referatur supplicationi, quam sub hac clausula: Quod dictus Orator infra annum proximum Magisterium in Theologia seu Doctoratus aut Licentiatum in Decretis gradum pravo examine in aliqua approbata Universitate studii generalis, ac alias servatis servandis suscipere omnino teneatur; alioqui praesens gratia nulla sit, ipse Archidiaconatus vacet eo ipso. Unde etiam patet, tales debere esse promotos in Gymnasio publico, Garc. loc. cit. num. 40. ex Zecho de rep. eccles. c. 24. de Canonico. num. 3. sive, ut verba dicta clausulae habent; in Universitate approbata studii generalis, ita ut alias gradus illis non suffragetur ex Bulla Pii V. Barbof. loc. cit. num. 7. citans Massob. in pr. habend. Concurf. r equistio 10. dub. 6. num. 6. Novar. in singul. Canonic. concl. 41. num. 4. Squillante &c. Adeoque nec Doctoratus ex privilegio ad hujusmodi dignitatem pro-

moveri valeat, Barbof. loc. cit. num. 7. citans Novar. in qq. forens. q. 143. concl. unic. Menochium de arbit. casu. 425. num. 42. &c.

2. Extenditur hoc ipsum Decretum Tridentinum non solum ad Archidiaconum majorem, sed ad omnes, ubi fortè plures sunt in ecclesia hac dignitate cum jurisdictione fulgentes, Pigu Fagn. loc. cit. eò quòd Concilium loquatur indefinite. Quamvis tamen uterque addat, propter verba illa Concilii: ubi fieri poterit: dum agitur de optione, quae competit tantum Canonicis antiquioribus, & non est sublata per Tridentinum, si inter omnes Canonicos adsit aliquis Doctor, illi dandum esse Archidiaconatum vacantem, & non antiquiori; si autem nullus adsit Doctor, admittendum esse antiquiorem Canonicum licet non Doctorem.

3. E contra non extenditur ad illos Archidiaconos, qui omni prorsus curâ animarum & jurisdictione careant. Pignat. loc. cit. num. 42. in fine. Garc. loc. cit. num. 39. recitans num. 41. quatuor pro hoc expressas S. Cong. Concilii declarationes. Barbof. loc. cit. num. 6. citans Piassec. in pr. Episc. p. 2. c. 5. num. 20. & plures alios. Porro si ex consuetudine ecclesiae alicujus potestas & jurisdictione alias de jure competens Archidiacono competeret Archipresbytero, deberet esse Doctor videlicet Decreti Tridentini. Garc. loc. cit. num. 42. ex Menoch. de arbit. casu 425. numer. 42.

Barbof. loc. cit. num. 7. in fine citans

Riccium part. 4. decis. 248.

FINIS.



ERRA-